Gargas Christophori: Quaestio de eo quod interest desumpta ex l. unica, C. de sententiis quae pro eo, quod interest proferuntur.

2389 Prawo.

QVÆSTIO
De eo quod intereſt,
Deſumpta ex l. vnica, C. de Sententiis quæ pro eo, quod intereſt proferuntur.



Per
CHRISTOPHORVM GARGAS,
Philoſophiæ & I. V. D. in gratiam eorum, qui recenter ad ius, & Iuriſp. ſe contulerunt, in lucem expoſita.



CRACOVIAE,
Baſilius Skalski impreſsit, Anno Domini,
1607.

ſ.

In Arma

Illuſtriß. ac Reuerendiß. Domini,

DOMINI MATHIÆ PSTROKONSKI,

Dei & Apoſtolicę ſedis gratia, Epiſcopi Præmiſlienſis, Polonię Regnì Cancellarii.



DElitiæ Paphiæ, Roſa, flos mortalibus æque,
Ob ſpeciem ſuperis, gratus & ipſe Dijs.
Sic tua, ſicq; tuæ eſt virtus gratiſsima Gentis,
Allicit hæc homines, allicit iſta Deum.
Quod maius patriæ decus? haud quam ſpina repungens
Hoſtes. Belle ornat te roſa, tuq; roſam.

ILL^mo ET R^mo DOMINO,

D. MATHIÆ PSTROKONSKI, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS gratia, Episcopo Præmisliensi, Poloniæ Regni Cancellario, Domino ac Mœcenati plurimum obseruando:

CHRISTOPHORVS GARGAS

Philosophiæ & I. V. D. S. P. D.



Nfirmum hunc, vel potius exiguum, ingenii mei partum, Illustriss. ac Reuerend. Antistes, visum mihi in lucem dare; idque sub tutela nominis tui: Causam habui duplicem: Prior est, quia lucem aliquam, tenui huic, & per se obscuræ scriptioni conciliare conatus sum, à luce Tua. Cuius dignitas, & officia, in florentissimo hoc Regno, splendent inter Repub. prima: Tuque in iis per Prudentiam, & Virtutem. Quorum altera, Principum tibi gratiam, & amplissimos honores contulit. Altera, in hac flamma rerum, inuidiam apud, male coctos, homines, conciliauit. Vtrumque tibi cupio, & amicè gratulor. Illud suadet, non amor, cuius certè verbum leue est, sed fides mea, & summa erga te pietas. Hoc Religio tua,

quę verè Sacerdotem, Castitas, quę Vestales, Probitas & vitæ totius ordo ac compositio, quæ ipsum cælum. hæc omnia, in Te, non æstimaui solùm; verùmetiam ad os appressi & ad pectus: & inde, inuidiam gratulor, quę tanquam vmbra humanum corpus, non affectatam, nec sterilem pietate virtutem, comitatur. His tu ducibus Illustriss. & Reuereñ Antistes, perge animose atque fortiter, candido vt caepisti animo & affectu in patriam, in Tuum, & nostrum Principem. hoc virtutis tuę examen esto, quod tu temperes prudentię tuę humore. Et inter hos scorpiones & chamæleontes, qui iam non fimo, non aura, vt cibo; sed aliorum fortuna & virtute, vescuntur, nutriuntur: esto vt ille, quem ratio, quem sapientia firmauit. Nec circumagere mihi vulgarium iudiciorum omni vento. Et quemadmodum, Vlysses ille, donec Leucothea velum ei supposuit, natat nigrum pontum, sic tu huius temporis, nouam inuidiā, nouos fluctus; donec pectus tibi præcinxerit candida illa diua. Constantiam dico, quam audi, admitte, serua. Enimuerò, nec Alexander ille Macedo, omnium ætatis suæ Principum decus superasset, nisi tot, & tam potentes virtutis suæ æmulos, & habuisset, & fortiter tulisset. Addo vnicum, quod olim Liuius (de iis, quibus omnia ad animum) Nec temere aduersa casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit: Hoc ego de tua virtute. Causa altera Illustris. ac Reuerendiss. Antistes, beneficium Tuum, erga me. Veni in patriam non peregrinus, quasi peregrinam,

paucis notus ex vultu, nemini ex animo: & more itinerantium, ac si ignarus cousuetndinis, morum, ingeniorum, caute & verecunde, antiquas amicitias renouare, vel potius innouare est animus, ambio, adoro, circumeo, quærito. Non tamen inuenio, qui me tot officiis ad amicitiam, desideriis, ad palestram virtutis, onustum, quieti, diuersorio, vel saltem consilio, sine inuidia, excipiat & recreet: cui non amœnam; sed cãdidam & apertam rationem professionis meæ testatam facere possem, qui mihi, vel illud. Ecce Rhodus, ecce saltus, reperitur nullus. Quin imo multi hominem mirantur: plurimi tanquam exploratorem cauent: nonnulli qui plus animo quàm consilio pollent, quasi ambitiosum aspiciunt, imò despiciunt. His ego iam ad fastidium & desperationem. Sed ecce Tu Reuerendiss. & Illustriss. Antistes, hæc cogitantem, hæc patientem, nullo meritò meo; sed solo instinctu beneficae, ac humanę naturæ tuę, quę velut fato aut Genio, inter Principes viros propriæ Tua est, nõ solummodò venientẽ humanitate, ignotum charitate, amore clientem, cõstantia gratum, excepisti; verùm etiam grauissimi iudicii tui subselio ornasti, imò beasti. O præclarum munus, non meo munere; sed splendore Tuo dignum. In quo ornando, si fortè ego aliquando remissior, profectò erit à summis, occupationibus meis, non à voluntate. Si non impietas, occupationes, humanitati Tuæ, quæ omnia non impetrare potest à me, sed imperare.

Verum manum de tabula, nequis me hominẽ impor-

portunum, qui multa ad hominem occupatissimum, &, ne detractor, apertũ, nec ingratũ pectus, Tibi vel læ adulari suspicetur. Ergo finẽ facio orationi: nã officium compulsus remitto, non omitto. Et æternũ illud Numen, cuius diuinitas, rebus õnibus, non solùm præest, sed interest, imò inest, à quo ortus & occasus Regnorum Rerump. dependet, supplex oro, vt incompositã hanc vel potius insanientẽ temporis huius fortunã, inspiciat, adeat, cognoscat & ignota nobis serie dirigat ac gubernet. Has humas solus ipse, non humana ratio, vult & potest: quidni velit? optimus est: quidni possit? maximus est: adeoq́; vires nullæ supra ipsum vt nullæ nisi ab ipso. Magnũ istud est nec contemnendũ incendiũ; sed Principis cõscius ille recti animus, fides, imò pietas, in suos Reges, nobilissimę Nationis nostrę, splendidũ & iucundũ post hęc nubila Phœbũ, & simul latiorẽ virtuti tuæ campũ pollicẽtur. Quod voueo: Teq́; Illust: & R.me Antistes rogo, vt inscriptionẽ hãc, accipias, & authoritate Tua cõtra maligni dentis liuorẽ defendas velut animi cultvsq́; mei in te pignus, vtriusq; quidẽ eximii, exiguũ. Sed quid faciã? vt Vlysses ille apud Alcinoũm, nihil habet quod rependat pro ingentibus meritis, præter vota & grates, ita ego quẽ cætera destituũt, præter munera hæc mẽtis. Quę tamẽ Vobis magnis quoq́;, sæpè magna: & meritò, quoniã fama & ęternitas ab istis. Vale felix & faustus, summum nostræ Patriae lumen & decus. Cracouiae, ex Musaeo meo, Anno Dñi, 1607.

QVAE-

D. O. M. A.

QVÆSTIO.

V. Intereſſe, in obligationibus rem dari, poſt moram, vltrà duplum per officium Iudicis: In obligationibus autem facti, per libellum Iure Actionis, in condemnationem deducatur, nec ne?

In huius quæſtionis deciſione, in gratiam eorum, qui ad I. V. dignitatem promoueri deſiderant, eum ordinem obſeruabo:

Primò, Legem, ex qua quæſtionis noſtræ occaſio, ad formam quæ in exteris Academiis obſeruari ſolet, explicabo.

Secundò, Punctorum, quæſtionis perplexitatem: ne dificultate ac uarietate, propoſitæ materiei, rudem adhuc & infirmum, animum ſtudioſi, aut oneremus, aut deſertorem efficiamus: facta ſingulorum diligenti examinatione, omni exuam difficultate.

Tertiò, Quæſtioni propoſitæ, manum admouebo, cuius ueritatem quatuor Concluſionibus confirmabo. Rurſus cuilibet Concluſioni, quinque Corollariis reſpondebo.

VEnio igitur ad primam partem propoſiti negotii, nempe ad explicationẽ legis vnicę C. de ſẽtẽtiis, quæ pro eo quod intereſt proferũtur. In cuius enodatione, nihil ab antiquo & conſueto ordine recedam. Primò enim Rubricam, ad præcedentes continuabo. Secundò, quæram de aliquibus ſecundùm dicta Domini Azonis in ſua ſumma. Tertiò, veniam ad legem meam: cuius ſummam & diuiſionem dicam: caſum in terminis figurabo: legam mihi litteram: Notabilia colligam: vltimò, veniam ad apparatum gloſſarũ, quas quærendo vel opponendo, prout mihi meliùs videbitur, expediam. Redeo itaq; ad notabilem & elegantem l. cùm pro eo, poſitam & ſituatam ſub celebri & in praxi verſatili titulo, de ſententiis, quæ pro eo quod intereſt proferuntur. C. lib: 7. tit. verò 47. Pro cuius ex-

peditione, cùm omnis lex debeat intelligi, secundum R^m. sub qua situata est, vt inquit glos: in cap. fina: inf. de loc. & conducto, l. imperator ff. de in diem addicti, capio Rubric: meam, quæ inscribitur, de Sententiis, quę pro eo &c. & cùm continuatio tituli ad titulum sit facienda, 15. 23. 24. distinctione. l. 2. ff. de statu hominum, R^m. meam de mente Doctorum sic continuo. Suprà visum est, de sententiis, quæ proferuntur sine certa quantitate, an valeant, nec ne? Verùm, quià quandoq; super eo, quod interest, Iudices dubitant, an certam possint & debeant proferre sententiam, & vsq; ad quam quantitatem, siue in casibus certis, siue incertis, siue in damno, siue in lucro. Ideò hîc Imperator, ad tollendas omnes dubitationes, quæ possunt oriri, inserit hunc titulum. Expeditus de continuatione venio ad dicta Domini Azonis qui in sua summa de pluribus quęrit, & primò dicit, interesse aliud esse commune, aliud conuentum, aliud singulare. secundò, quòd interesse consideratur & in lucro & in damno. 3. Quòd interesse consideratur non solùmodò circa rem; verùmetiã extenditur ad illud, quod est extrà rem, per l. Sterilis. § Cùm si venditorem, ff de actione empti & venditi. 4. Si fuit promissa res aliena, nec potest haberi, non agitur ad interesse. 5. Vbi factum est in obligatione, potest agi ad factum & ad interesse. 6. Pœna non ad duplũ, vt habetur, l. si mulier, in fin: de spons. l. si dictum, ff de euicti. Nec ad quadruplum, vt quidam senserunt, ex § omnes autem Instit: de Actionibus, sed ad pœnam conuentionalem, quantacunq; sit porrigitur. ex § alteri Instit, de in vtilibus stipul. Postquã dicta Domini Azonis, in medium attuli, Redeo ad legem meam, quæ, hoc mihi dicit in summa: Prolixitates antiquæ, circa interesse, cessant per hanc legem, & in casibus certis venit totum quod interest, & habetur ratio lucri & damni.

Legem meam diuido in quinq; partes: Primò ponit proœmium. 2. ponit statutum suum. 3. illud probat per remissionẽ ad absurdum. 4. illud probat à simili, 5. ponit duo dicta ad alia præcedentia, 2. ibi scimus itaque. 3. ibi ne dum 4. ibi, cum sancimus, 5. ibi, & hoc non solùm.

Et quoniam, ex facto ius oritur. cap: penult: infra de dispo: impub. l. si ex plagis, § in Cliuo, ff. ad l. Aquil: Facti speciem sic mihi fingo. Titius debeat Sempronio, ædificare domum. non fecit quod conuenit: Quærebatur an Sempronius, posset petere totum singulare interesse, etiam si excedat duplum communis interesse. Et an teneatur Titius ad totum damnum, quod in re habet, resarciendum, & lucrum quod percipere potuisset, si domus fa-

cta

cta fuisset, recompensandum Sempronio. & Respondit huius meæ legis author præstantissimus, Imperator Iustinianus, quod non potest petere Sempronius, à Titio illud quod sua interest, vltrà interesse commune, vel conuentum: sed quantum Sempronio interest, rem non fuisse factá, debet Iudicum subtilitate coniecturari & moderari. Sed quoniam, omnis Iuris decisio, debet esse de casu dubitabili, cap. cùm in Iureperitus de offic. & potestate Iudicis delegati, l. Quod Labeo, ff. de Carboniano edicto. videbatur dicendũ cõtrarium, quòd scilicet illud quod interest Sempronio, non debet nec potest coarctari, & limitari Iudicum subtilitate; quominùs petatur totum, etiam si excedat duplum communis interesse.

Primoq; dubium faciebat, Per moderationem & limitationem, eius quod interest, illa quæ Iure prohibentur incrementũ sumunt. Primò, grauatur ille cui interest, dum illi non quod reuera debetur, sed quod Iudici visum est, restituitur. Secundò, sententia Iudicum vertitur in iniuriam alterius partis, quod non debet fieri ex l. per fundum. de seruitute Rusticorum Prædiorum. Tertiò, Via maleficiis ostenditur, l. 1. ff. de Carboniano adicto. Ergo Resp: Imperatoris locum non habet.

2. Repugnantia, indubium vocant veritatem cuiuslibet assertionis. Atqui in Resp: Imperatoris repugnantia sunt, dicit enim primò, vt hoc reuera quod damnum inducit, reddatur. Rursus paulò inferiùs per Iudicum subtilitaté, illud quod interest limitetur. Ergo locũ Resp: Imperatoris non habet.

3. Iudex debet ferre sententiam ex allegatis & probatis, cap. in causis de sententia & re Iudicata, l. illicitas. 6. §. veritas ff. de offic. Pręsidis, l. vltima. C. de fideicomissariis: Ergo non ex coniecturis, vt vult Imperator, & subtilitate Iudicum.

4. Error Sententiam vitiat, vt in cap. 1. de re iudicata & per gl. in l. ex diuerso ff. soluto matrimonio: Atqui in casu nostro, ex quo Iudex non ex certa scientia; sed ex coniectura, condemnat aliquem ad interesse, facilè error Iudicis colligi potest: secundùm illud vulgare: Etiam bonus quandoq; dormitat Homerus. & expressam legem quam notat Baldus. 2. quæstione 7. in fine, C. de rescindenda venditione: Ergo dicendum est Iudicis, illá damni alterius, ex arbitrio suo æstimationem, cum suspectus sit de errore, nullá esse.

Quintò, in Contractu, qui habet certam quantitatem. Illud quod interest dupli quantitate terminatur: Ergo etiam in contractu, illo qui incertus est eadem ratio seruari debet. Antecedens patet ex l. nõra, Consequentia

quoq; vera est, propter identitatem rationis, quæ in pari causa paria iura desiderat, l. 1. ff. de fonte. Quemadmodū enim in cōtractu ex certa causa, attenditur hoc, vt via maleficiis & dolis præcludatur, per dupli solutionem, ad illud quod interest: Ita etiam in contractibus ex causa incerta hoc idem attendi debet, præsertim cùm ita aliquis potest ex contractu incerto sicut ex certo grauari.

His tamen non obstantibus contrarium, per eundem vt dixi authorem, fuit decisum.

Sed quoniam ratio est anima legis, cap: Correp. 68. destinct: & vt inquit Iason in l: quod dictum ff. de Pactis, vnde dici consueuit: Lex debet esse rationabilis, l. cùm ratio ff. de bonis damnatorum.

Ratio præsentis decisionis potuit esse hæc, vt machinationibus & immodicis peruersionibus, terminus aliquis statuatur, ne dū in infinitum computatio reducitur pro sua impossibilitate illud quod est naturæ conueniens, infirmetur, quæ vult eas, tantummodo pœnas exigi, quæ vel competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine conclusæ statuuntur. Qua ratione decidendi, sic stante virtualiter tolluntur contraria; verum quia particularis responsio Iuri magis arridet, cap: Si aduersus, infra de Hæreticis §. alio autem modo Institutionum, quibus modis testamenta infirmentur: Ideò particulariter respondeo.

Ad Primum Argu: Illud nihil inferre, quia moderatio illa ex quo, lege permissa est, nemini iniuriam inferre videtur: iuxta legem Grachus C. de adulteriis, nec per illam via maleficiis aperitur propter duas causas. Primò, quia lis & controuersia, non extenditur in infinitum quod interest, vt lites citò terminentur: l. Properandum. C. de iudiciis. Secundò, saluatur illa lex, qua iubetur magis fauere reo, quàm Actori, cap: cùm sunt, de regulis Iuris in 6. Nec illa Reg: aliquid concludit, habetur enim ibi mutare consilium. Hic autem Iudex non mutat, sed simpliciter inquirit, vt hoc saltem quantum Sempronio, reuera interest, reddatur.

Ad secundum, Ibi nulla esse repugnantia, non enim simpliciter dicit, vt illud quod inducit, damnum reddatur: sed limitatiue, s. vt per Iudicis subtilitatē diligentissime inquiratur, vt illud quod reuera damnū intulit, restituatur.

Ad tertium, Verum est, Iudicem non posse simpliciter à lege recedēdo, aliquid statuere & concludere, secus est, si voluntas sua fundatur, in ratione legibus non repugnante: vt in casu nostro. secundum Abb. in cap: ne inul-

taris,

taris, extra de constit: Nec coniecturalis illa probatio aliquid impedit: quia indefectu probationis, præsumptio & coniectura concludit, vt habetur in l. neq; natales C. de Probat. Adeoq; hoc verum est, vt indefectu aliarum probationum, minima coniectura de interesse, excludat iuramentum, secundum Bald: in l. vnic. nostra, cùm pro eo.

Ad quartum, Error expressus Iuris sententiam vitiat, secus in casu nostro, vbi non constat de errore.

Ad quintum, Diuersam esse rationem, inter contractum certum & incertum, Diuersam etiam debere fieri damni & interesse æstimationem: & quẽadmodum ex contractu certo incertum interesse non statuitur; ita etiam ex contractu incerto certum statui non debet, vt vult Imp: hic: nam aliter nulla esset inter certum & incertum contractum, differentia.

Hic est casus condubitandi & decidendi, rationibus breuiter figuratus, verùm quia facti species debet congruere literæ, vt inquit Abbas in cap: per tuas infra de Arbitris, l. 4. §. toties ff. de damno infecto: ideò vt hoc appareat, lego mihi litteram.

Cùm pro eo quod interest, dubitationes antiquæ in infinitum productæ sunt. & reliqua quæ in textu habentur vsq; ad finem leguntur.

Et quoniam quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur neglecta cap: à multis suprà de ætate qualitate & ordine præficiendorum, l. itẽ apud §. ait prætor ff. de. iniuriis. Ideò noto: Primò, quòd dixi in sũmario Prolixitates antiquę circa interesse cessant per hãc legem. 2. In casibus certis, non venit totum quod interest. 3. Interesse debet considerari & in lucro, & in damno, 4. Infinitas & Prolixitas, est coarctanda. 5. Lex non debet esse impossibilis. 6. In casibus, certis id quod interest, non debet excedere duplum, 7. In casibus incertis, totum id quod reuera interest peti potest. Expeditus de notabilibus, sum perconsequens expeditus de omnibus textualibus. Ideò venio ad apparatum glossarum, & lex mea habet Decemseptem glo: Secunda ibi, cum pro eo 3. ibi, Quod interest. 4. ibi, productũ. quinta melius. 6. ibi, in omnibus. 7. ibi, Quantitatem. 8. ibi, contractibus. Nona ibi, dupl: 10. ibi, in aliis. 11. ibi, subtilitatem. 12. ibi, damum. 13. ibi, & non exquibusdam. 14. ibi, imposibilitate. 15. ibi, cum scimus. 16. ibi, proferuntur: vltima ibi, veteres.

Redeo ad primam, Quam diuido in tres partes: In prima remouet contrarium: in secunda respondet quæstioni: in tertia duas definitiones tradit

 2. ibi

licet 2. ibi nec meta, 3. ibi dicere tamē potis. Absoluta prima venio ad secundùm dam, quam diuido in quatuor partes. In prima præmittit, quędam ad legis
emle euidentiam. præcium siue interesse esse triplex, conuentionale, de quo con-
est po uenitur inter partes, commune, quod cōmuni æstimatione valorem sumit.
: ta= singulare, id quod alicui interest propter affectionem. In secunda ponit, vbi
ecun= nā de hac materia tractatur, sczt, in l. 1. in princip: ff. de Actione Empti. In
ordi= 3. casum fingit. in quo concludit, in contractibus, qui certam habent quanti-
terici tatem, interesse non excedit duplum communis interesse, in contractibus
à lu= autem incertis totum singulare petitur, etiam si duplum communis inter-
eritis esse excedat. In 4. legem approbat, causam inferens, & rationem eius,
catur conuenientiæ, sczt, & competenter prædicta statuuntur, cùm & pœnę lega-
Cum les & conuentionales certis metis finiantur, 2. ibi & habet hoc, 3. ibi, dicit
o. ergo hæc lex, 4. ibi, competenter.

Quod Expeditus de 2. sum. in 3. parte glos: meæ, quam propter eius breuitatem,
est. non diuido: & cùm in textu dicatur interest, quæro de declaratione: & re-
spondet mihi glos: pro eo quod interest, id est super Interesse.

pro= Sum in 4. quam etiam non diuido, sed quæro quæ sint illæ dubitationes
um. de quibus textus loquitur, & Respondit glos: An circa rem, vel extra rem,
consideretur interesse, & an in damno tantum, an in lucro consistat.

Me= Sum in quinta, glos: hic exponit, meliùs, id est, bonum esse coarctare,
is. quàm si in infinitum producerentur obligationes.

Ino= Sum in 6. Hæc gl: in duas diuiditur partes, in prima quærit, in secunda
us ca tacitę respondet, quęstioni, 2. ibi. sed nec in obligationibus. Primò itaq;
is. quęro cur textus dicat in omnibus casibus, & non contractibus? Resp: glos:
vt declaret interesse etiam venire in maleficiis, & quasi, secundò quęro, cur
non dicit in omnibus obligationibus. ℞. quia interesse venit non solùm,
quando est in obligatione; sed etiam quando non est in obligatione: & ve-
nit officio Iudicis vt in arbitrariis actionibus.

Quā Sum in 7. hæc glo: expeditur cum sequentibus, & tres habet partes.
m. Prima exponit textum, 2. sensum elicit, 3. expositionem ponit. 2. ibi, est
ergo sensus. 3. ibi, vel dic, pro declaratione glos: quæro an textus sit super-
æui= fluus? dum dicit in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem, vel
præ= naturam. & glo: respondet, quod non. Nam certa dicitur quantitas, vt si
sitū quispiam debeat decem cados olei. Natura certa dicitur vt si debeas mihi
certam speciem vt Stychum ex venditione, vel alio contractu. In secunda

parte

parte glo: habes, id dici certum, quoties id, quod debetur, est certum quantitate vel specie l. certum ff. si certum petatur, In 3. parte glo: dicitur, Quantitatem comprehendere in se vtrumq;, scit. quantitatem, & speciem l. quisquis ff. de legatis 3.

Sum in octaua. Hæc gl: diuiditur in quinque partes, in 1. timore cuiusdam contrarii, supplet ad textum, in 2. quærit. in 3, reprobat, in 4. ampliat in maleficiis, in 5. loquitur quid sentiendum est, quando deductum est, in obligationem rem dari, 2. ibi, sed qui sunt hi, 3. ibi, sed certè imo. 4. ibi, item in maleficiis 5. ibi, secus si diceret dari. Circà primum itaq; quæro glo: de declaratione quæ respondet, hoc verbum, in omnibns contractibus. intelligi de similibus, alioquin, esset contra versiculum in aliis, vbi in incertis, non est taxatum, sed solùm in certis, In 2. quærit, de quibus similibus loquatur, & respondet duobus modis. Primò dicit, quod sunt, in his in quibus lex dicit singulare interesse venire. Secundò, illi, qui continent certitudinem. In tertia parte, hoc etiam reprobat, dicens: quòd, licet singulare interesse non veniat: dummodò certitudinem, contineat, ille contractus, hac lege complectitur, vt sunt omnes contractus bonæ fidei, & etiam quidam stricti Iuris, vt in arbitriis: in quibus in litem iuratur. In 4. dicit; quod hic textus procedit in quibusdam maleficiis & interdictis, quod idem confirmat l. in interdicto prima ff. de vi & vi armata. In quinta dicit, quòd hic textus etiam procedit in omnibus contractibus, in quibus lex dicit, certam rem debere tradi, ex contractu vel delicto, secus si diceret dari: quia tunc nullum interesse petitur, sed res omninò debet fieri stipulantis. Item habet locum in contractibus, in nominatis, etiamsi lex dicat certam rem debere dari. quod confirmat per l. 1. § finali, ff. de rerũ permutatione. glo. C[ontractib]

Expeditus de Octauo sum in nona, glo: hæc quæ est in verbo dupli, 4. continet partes. Prima declarat textum, secunda notat. 3. de communi interesse ponit. 4. format contrarium forte, 2 ibi, & nota, 3. ibi in quo communi, 4. ibi, item in eo quod dicit, Pri. itaque quæro, quod est illud, quod potest duplari? & glo: innuit, quòd conuentum interesse duplatur, quia interesse singulare non potest excedere duplum, interesse conuenti, & hoc secundùm quorundam opinionem. glo: verò in versiculo tu dic, intelligit, quod nec commune, nec conuentum potest duplum; excedere. sed duplatur id, quod est maius, siue sit conuentum, siue commune. In 2. parte glo: notatur, quod interesse Commune quantumcunq; sit, debetur & glo. dup[li]

potest

poteſt peti, In 3. parte glo: infertur, quod in Intereſſe Communi venit tantum damnum, & non lucrum & confirmat hoc per l. Proculus. ff. de damno infecto. In 4. format contrarium, quę ſcinditur in decem partes, Prima opponit de lege, datio, § ſi per venditorem, 2. reſpondet ſecundùm Bulg ibi, reſpondet Bulg 3. Aliam format oppoſitionem, ibi. Item eidem contrà. 4. Ponit reſponſum Bulg; & Mar: ibi, cui reſpondebant. 5. Opinio, Mar: & Bulg. reprobatur, ibi, quod non placet. 6 Suam ponit ſolutionem, diſtinguendo, ibi, tu die. 7. Remouet contrarium, ibi, nec obſtat. 8. Aliud ibi. Item, nec obſtat. 9. Ponit diſtinctionem Doctorum antiquorum, ſoluentium contrarium § Si per venditorē quā reprobat, ibi, alii diſtinguūt. In vltima parte, aliorū ſolutionem infert, quā non reprobat, nec improbat expreſſè, ibi, alii dicunt. Quæ omnia breuitati cōnſulendo, tū etiam, quia ex verbis gl. intelligi poſſunt, lubens prætereo.

ſ: in da- lis. Expeditus de Nona: Sum in Decima. In prima parte gl. declarat caſus incertos. In 2. ponit practicam petendi id quod intereſt, ibi, in quibus agitur. In 3. quę eſt, ibi, & eſt actoris electio: ponit an ſit in electione actoris, vel rei. 4. Quæ eſt ibi, ſi autem tradi, quid in obligatione non tradi. Vltima, quæ eſt ibi, Item vbi eſt dandum, declarat, quid in obligatione dandi, quæ etiam omnia ex textu patent.

ſ: ſub- tatem. Sum in Vndecima, quam diuido in quinque partes. In 1. prætextu taciti contrarii textum declarat. In 2. Ampliat. In 3. Ponit duas limitationes. In 4. Quærit. In vltima idem facit. 2. ibi, & hoc in contractibus. 3. ibi, ſed hoc fallit. 4. ibi, ſed qualiter. 5. ibi, item nec eſt commune.

ſ: da- num. Sum in Duodecima, quam in duas partes diuido. In prima reſpondet contrario. In 2. quærit. Secunda, ibi, Sed quare in incertis.

ſ: & n exqui ſdam. Sum in Tredecima, quæ eſt in verbis & non ex quibusdam gl. dicit hunc verſiculum, ſecundùm opinionem quorundam referri ad primum caſum, ſecundùm gl: opinionem ad ſecundum.

ſ: Im- ßibilita te. Sum in Quatuordecima, quę eſt in verbo. Impoſsibilitate, hæc glo. tres habet partes. In prima declarat textum. In 2. ponit notabile. In 3. ponit declarationem ad textum, ab abſurdo probando. 2. ibi, & ſic nota. 3. vel dic caderet.

ſ: Sci- mus. Expeditus de 14. Sum in 15. quæ eſt in verbo ſcimus, hæc gl: refert textum; ad caſum verſiculi ſancimus, reliqua ex textu.

Sum in 16. quæ eſt in verbo, proferuntur, quam diuido in tres partes:

Prima

Prima declarat textum. 2. quærit. 3. infert. 2. Est ibi; sed vsq; ad quam summam. 3. ibi, & sic est competens.

Sum in 17. & vltima: quę est in verbo veteres Quam diuido in tres partes. 2. Est ibi, sed regulariter, 3. ibi, sed hęc lex vult. Quæro itaque: Primò glo: pro declaratione, An sit habenda lucri cessantis ratio? & licet hîc Bart: & alii mul a in oppositum attulerunt: textus tamen gl: nostræ dicit, habendam esse lucri cessantis rationem, authoritate legis. 3. § fin: ff. de eo, quod certo loco, l. Si mulier, § rerum amotarum. ff. eodem. hæc quò ad primam partem gl: Quod ad secundam, dicit, regulariter contra erat: quia lucrum non veniebat quod probat per l. Proculus, ff. de damno infecto. Quò ad tertiam, concludit, secundùm opinionem Accursį: authoritatem legis nostræ, quæ vult, quòd hodie sit generale vt in interesse veniat lucrum. Expeditus de singulis partibus, gl: meæ, sum per consequens expeditus de omnibus pertinentibus ad legem meam. Ex hac lege, ita examinata, deduco in medium supra positam Quæstionem: ad cuius intelligentiam, præsuppono quædam, difficultatem terminorum, propositæ Quæstionis explicantia. Veteres.

Primò.

Interesse, aduersus quorundam curiosorum Grammaticorum opinionem, in substantiuo Latinè dici posse. Appellant id, quod interest, omnes fermè, interprętes interesse, in substantiuo, cuius vt insolentis voculæ à Latinè scientibus, veniam petit Alciat: in l. De eo quod interest. Et qui post eum scripserunt multi, arrogantiùs dicunt dictionem, hanc impuram, ineptam, barbaram: Ante quos omnes Fulgosius vir acerrimi iudicii, interesse, nominaliter, nullibi, in noua Iurisprudentia legi affirmat, in l. 2. ff. de eo quod certo loco. Contrà quorum opinionem, solus Antonius Fumæus Parisien: vir doctissimus, non dubitat interesse nominare. Cùm apud Iurisperitos, vsurpatum esse inuenerit, l. Debitor decem, ff. de legat. 2. l. Quod sæpe § finali, ff. de contrahenda Emptione. Vbi ille. Si inquit Latinè dicimus: tuum scire: nostrum viuere & suum velle: vt in illo:

Scire tuum, nihil est: nisi te scire, hoc sciat alter.

Et apud Pers.

Tunc, cùm ad caniciem, & nostrum istud uiuere triste
Aspexi, &c.

Et apud eundem.

Velle suum cuique est, nec uoto uiuitur uno.

Cur non item dicemus, tuum aut meum interesse? Huius ego Doctoris sententiam, cum Ioanne Corasio, in hoc proposito secutus sum: & concludo contrà antiquorum vanas, & inutiles superstitiones, Interesse in substantiuo Latinè dici posse.

Secundò.

Sciendum est quòd diuersi sunt termini.

Fructus.
Pœna.
Vsura.
Interesse.

Fructus dicuntur, vt vult Abb. in cap. grauis, de restit: spoliat: & Bart: in l. Ex diuerso. ff. de rei vendicatione. Quę supersunt, deductis impensis quę fiunt gratia quęrendorum colligendorum, & conseruandorum fructuum: siue illi fructus sint ciuiles, l. Prædiorum, ff. de vsuris: siue sint industriales, qui non ex sua sponte; sed ex industria hominis proueniunt: siue sunt naturales, quos natura sua sponte producit l. Quęritur, ff. de statu hominũ.

Pœna verò. est certa quantitas pecuniæ, quando non fit quod promissum est, vt §. fin: Instit: de verborum obligationibus.

Vsura autem, est certum quoddam emolumentum, quod quis ex re mutuata, percipit, vltrà sortem, tantum propter officium mutuationis, quæ de Iure Ciuili & Canonico prohibita est. vt toto tit: extra, de vsuris, & pulchrè notatur post alios in d. l. 1. C. de Summa Trinitate.

Interesse porrò. Est quantitas quæ non debetur immediatè; sed quæ succedit in obligationem, ex eo, quòd non fit, quod fieri debuit, gl: in d. l. Vnica, C. de sententiis, quæ pro eo quod interest, proferuntur.

Hic etiam sciendum est: Quòd pęna & vsura, differunt ab Interesse, secundum Bald: in l. Hac vnica, tanquam determinatum, ab indeterminato. Pœnę enim & vsure, sunt determinatę, certè & taxatę, statim ab initio per pactum, & conuentionem. Interesse autem, ab initio, non est certum, sed ex post facto, & futuro euentu declaratur.

Tertiò

Definitionem Intereſſe. Cùm omnis Inſtitutio debeat à definitione proficiſci, vt dicit Cicero lib. 1. Off. & facit textus in l. 1. ff. de Iuſtitia & Iure. ſed quoniam circa definitionem Intereſſe Doctores antiqui, & moderni opiniones perplexas tenuerunt, & ignotum per ignotius declarare studuerunt: viſum eſt mihi, ab eorum ſententiis, (tanquam propoſito noſtro alienis) ſuperſedere, cùm & minus vtiles ſunt: & in verbis tantum non in ſenſu diſcrepant, vt vult Rebuff. hîc.

Definio itaque Intereſſe. Intereſſe eſt id, quod legittimè petitur, propter damnum, datum, aut lucrum impeditum. vel melius: Intereſſe eſt æſtimatio damni emergentis, ſeu lucri ceſſantis, ratione ceſſationis, aut facti aliter, quàm fieri debuit, legittimè proueniens: cuius definitionis partes ſingulę probantur. ex l. 1. & l. Si ſteriles, ff. de actione Empti, l. Qui reſtituere, ff. de rei vendicatione, l. Si quis ab alio, § finali, ff. de re iudicata, l. Seruus, § fin. ff. de actio Empti.

Si hæc non ſatisfacit: definitio apertiùs. Intereſſe poteſt conſiderari quadrupliciter.

Primò, Simpliciter & abſolutè in ſe, non prout petitur. Secundò, prout petitur, ab aliquo. Tertiò, Ratione eius, cui debetur. Quartò, Ratione eius à quo petitur.

Si primo modo. Intereſſe nihil aliud eſt, niſi quando quis damnum ſentit, vel in perdendo proprium, vel non acquirendo lucrum, ſecundùm Decium in l. hac vnica.

Si ſecundò, Intereſſe, eſt æſtimatio damni emergentis, vel lucri ceſſantis, contingens ex eo, quando aliquid non fit quod fieri debuit: vel fit, quod fieri nō debuit: vel datur, quod dari nō debuit: vel nō datur, quod dari debuit

Si tertiò, Intereſſe eſt damni emergentis, vel lucri ceſſantis æſtimatio culpa debitoris contingens creditori.

Si Quartò, Intereſſe eſt æſtimatio, damni dati ſeu lucri ceſſantis, culpa debitorum prouenientis, creditori à debitore reſarciendum, & hæc vltima, ſecundùm Rebuff. hîc, Oinothomum, §. finali, Inſtit: de verb: oblig: cùm omnes antiquorum Doctor. difficultates & opiniones ſoluat. & ex pertinētibus ad naturam, & intellectum intereſſe, omittat nihil. ab omnibus recentioribus probatur, quàm & nos, meliorē eſſe aliis aſſerimus & approbamus.

Quartò.

Sumpta occasione ex definitione Interesse, cum Ludouico Lopez, ad tollendam eorum deceptionem, qui vtrumq; interesse, tam damni emergentis, quàm lucri cessantis confundunt in vnum. Primò, definitionem vtriusq; Secundò, differentiam inter vtrumq; faciam.

In primis itaq; lucrum cessans, definitur sic: Esse illud quod cùm quis posset & vellet, mediante aliqua negotiatione assequi, ideò omittit lucrari: quia in fauorem alicuius aliquid facit, vel quia præpeditur iniustè.

Damnum verò emergens, dupliciter definiri potest: Quo, ad, quid rei, Et quo, ad quid nominis.

Primò modo est, quod quis incurrit, vel incurrendi periculo se exponit, causa faciendi aliquid, quod periculum nullatenus subiret, si ab eo faciendo desisteret,

Si secundò, Damnum emergens est, damnum quasi se exerens & in lucem prodiens, cùm antea esset absconditum.

Hac definitione præsupposita, statuo differentiam duplicem inter damnum emergens, & lucrum cessans.

Prima, quia lucrum cessans, consistit in Actione, non enim nisi aliquid agendo lucramur: Damnum verò emergens consistit in passione, si quidem patiendo aliquid detrimenti, damno afficimur.

Secundò, discriminantur in eo. quòd damnum quis patitur in eo quod ante iam erat suum : lucrum autem nobis cessare non dicitur, in iam nostro & à nobis acquisito, sed in eo quod per nos venit acquirendum, Autore D. Th: 2. 2. quæ: 62. art. 4.

Quintò.

Quæro, quottuplex sit interesse? Circa hoc quæsitum variè varii senserunt. Quidam enim dicunt vnicum tantum esse interesse, sczt, singulare, & ad hoc sentiendum mouentur hac potissimum ratione. Partes integrales domus, non sunt domus, sed faciunt domum. l. Rectè dicimus, ff. de verb: obligat. sic nec præcium commune, vel conuentum est Interesse, cùm sint partes integrales Interesse singularis, quod non potest excedere duplum Interesse Communis, vel conuenti. Et sic commune, & conuentum faciunt singulare, Ergo vnum tantum, &c. His tamen non impedientibus nos, ex communi D. D. opinione quadruplex interesse statuimus.

Interesse

Intereſſe	In genere,		
	Conuentum,		
	Commune,	Subdi- uiditur in	Affectionis tantum, & Affectionis cum vtilitate.
	Singulare,		

Intereſſe in ſuo genere eſt, vt Bart: vult, Iuſta alicuius vtilitas.

Conuentum, eſt quantitas, partium conuentione taxata, quæ propriæ pœna dicitur, vt in §. fin : ff. de verb : obligat : vbi quantitas ſuccedit, in locum eius, quod fieri debuit & dicitur intereſse.

Commune eſt, quod communiter ab omnibus æſtimatur, & ſic communis æſtimatio rei vel damni, quod apud vnum non plus veleat, aut minus, quàm apud alium, l. Prętia rerum, ff. ad legem Falcidiam, l, Si ſeruum ff. ad l. Aquil.

Intereſſe ſingulare eſt, æſtimatio rei, quanti quis rem facit, non attento communi rei valore, ſed ex ſua propria affectione, quam erga rem habet, dato, quod res apud alios, communiter tanti non valeat Et Bartolus Planius in d. l. noſtra, Intereſſe ſingulare dicitur, quoties aliqua res plùs valeat vni, quàm aliis omnibus, propter vnam qualitatem inhęrentem huic rei, quæ non eſt tranſmiſſibilis ad alias : cuius rei exemplum ibi ponit, quod ego breuitati conſulendo prætereo.

Hoc rurſum Intereſſe ſingulare, ſubdiuiditur in intereſse affectionis tantum, & Intereſſe Affectionis cum vtilitate.

Intereſſe ſingulare Affectionis tantum dicitur, vbi de nulla agitur vtilitate, præter valorem rei, ſed ſolùm de quadam affectionê.

Intereſſe ſingulare Affectionis cum vtilitate, continet pręter affectionem & communem rei valorem, etiam vtilitatem, vt eſt in ſcholare habente Codicem valentem florenum, inquo habet ſuam memoriam : item bonas obſeruationes, manu ſua ſcriptas; ita vt non venderet 20. flo : Illa affectio continet etiam vtilitatem, propter memoriam & localitatem quam habet, in illo libro, quæ non eſt tranſmiſſibilis ad alium

Hac diuiſione ita probata & declarata, Arbitror opiniones D. D. poſſe concordari, eo modo : Verum eſt, quòd vnicum eſt Intereſſe in genere, cuius plures ſunt ſpecies ſeu differentiæ, ſicut quando dico: Hoc animal, quandoq; rationale eſt, quandoq; irrationale, nam ſemper idem eſt animal,

Ita & interesse: vnum est in genere sumptum: & est idem, siue æstimetur communiter, siue ex conuentione, siue singuliriter. Et hæc responsio & opinio probatur per gl: in l. licet, C. de pactis.

Sextò.

Quæro, quid veniat appellatione Interesse?

Et sciendum est, quod appellatione interesse, propriè continetur damnum emerges: & lucrum cessans, secundùm Alexandrum, Consilio 158. requisitus, N. 5. col: 2. vol: 2.

2. Præterea sciendum est, quòd appellatione Interesse res debita, non continetur, l. & eleganter, §. non solùm, ff. de dolo. Vnde si aliquis fecit pactum, de non petendo super iniuriis, interesse, damnis & expensis, adhuc poterit petere rem debitam, prout consuluit Alexander, consil: 168. requisitus, col: 2. in volumine 2. Et hoc verum est, si stricto modo sumatur res debita: Nam in proprie & largo modo sumendo, quando libellus non posset aliquid operari, tunc veniret res debita, per glo: primam, hîc dicentem, Interesse rei pretium, &c.

Tertiò, Fructus etiam largè, comprehenduntur appellatione Interesse, l. loci corpus, §. in confessoria, ff. de seruit: vend. Et ratio est: qui enim non consequitur fructus rei suę, dicitur pati damnum; Ergo dicitur pati Interesse.

Quartò, Appellatione Interesse non veniunt expensę. vnde in forensi iudicio frequentissimum est, vt Iudices condemnare, ad expensas damna & Interesse soleant. Ex quo nota singularem practicam: quod remittens iniuriam & expensas, non videtur remittere interesse, & damna, gl. in d. cap. si Canonici, Baldus in l. si pro fure, ff. de condit: furt. Et ideò ad euitandas omnes difficultates, cauti homines, in instrumentis solent apponere: Rem cum fructibus, damnis, interesse, iniuriis, expensis, remisit, vt dicit Bald. & alii in l. si tibi, §. 1. ff. de Pactis.

...ſt: 2. ob ...r: 102. ...13. & ...quent. ...insing. ...ntu: 4. ...ser. 10.

Septimò.

Ad tollendam omnem æquiuocationem dico, quòd interesse multis modis potest considerari.

Primò interest, accipitur, pro præsens est, Valer: quò faciliùs laboribus & periculis interesser, & text: in cap. suscitatis de rescriptis.

Secundò, Accipitur pro differt; Cicero: Inter hominem & belluam hoc

maximè

maximè intereſt, Terentius: Homini homo quid præſtat, ſtulto, intelligens quid intereſt! & l. Iſti quidem, ff. quod metus cauſa, l. nihil intereſt, ff. de inoffi: teſtamento.

Tertiò accipitur, pro In medio eſt: Liuius de bello Punico, lib: 1. Id morari, victoriam rati, quod intereſſet annis.

Quartò, Pro quadam vtilitate non facilè æſtimabili, vt Reipub. intereſt, ſubditos habere locupletes, gl. in §. finali, Inſtit: de his, qui ſunt ſui vel alieni iuris. Item, intereſt Reipub. ne vrbes deformentur ruinis, l Prætor, §. hoc interdictum, prohibitorium, ff. de noui operis Nuntia. Item, Reipub. Intereſt, munera per ditiores & potentiores regi,& non per pauperes,& abiectos, l. Honores, C. De honoribus & muneribus.

Poſtremò accipitur,pro quadam damni emergentis, aut lucri ceſſantis æſtimatione, quę fit pecunia,per quam res regulariter, æſtimatur, l. Si ita fideiuſſorem, ff. De fideiuſſoribus. Et in tali ſignificatione de Intereſſe, in propoſito noſtro ſermonem inſtituimus.

Octauò.

Quæro: Intereſſe ad quam quantitatem, aſcendere poteſt? Et ſciendum eſt, quòd aut quærimus de intereſſe conuentionali, per verba multiplicatiua: vt duplum, triplum, quadruplum, & ſimilia; aut de intereſſe, conuentionali, per verba ſimplicia: ſi primo modo, aut iſta nomina duplum, triplum,referuntur ad certam & taxatam quantitatem: & tunc poteſt aſcendere pœna, in quantum voluerunt contrahentes. Si verò iſta verba referuntur ad quantitatem incertam, ſub pœna dupli, vel quadrupli,eius, quod res plus valuerit, & tunc non poteſt excedere duplum, vt vult Bart: hic, & l. ſtipulatio iſta, §. alteri, ff de verb: oblig.

Secundò, ſciendum eſt: Aut loquimur de Intereſſe ſingulari, quod conſiſtit in rebus certam naturam, & quantitatem habentibus. Aut loquimur de eo, quod conſiſtit in caſibus incertis. Si primo modo illud quod intereſt, non poteſt duplum excedere, vt colligitur, per l. noſtram. Quod idē probari poteſt aliquot rationibus. Lex prohibet intereſſe excedere vltrà duplum. Ergo non debet exceſſus fieri. Vnde ſi Iudex condemnaret, errore Iuris non expreſſo, vltra duplum, etiam in minimo poſſet appellari, quia contra hanc legem iudicaret, l. 1. §. Item cùm contra, ff. quę ſententię ſine appellatione reſcinduntur. 2: Mandatum non debet quis, etiam in minimo excedere, quia in eo caſu, aliud à mandato videretur factum, l, diligen-

ter,

cer, ff. mandati. Imò si excedat, poteſt agi actione iniuriarũ, vt vult Guido Papa, in suis decisionibus, quæst: 293. quod executor. At qui hæc ideò rescinduntur, quia legibus sunt interdicta: Ergo hoc idem de Interesse quod certam habet quantitatem concludendum est. Si autem secundo modo accipimus Interesse, nempè pro eò quòd consistit, in casibus incertis. Dico, quòd totum, id, quod reuera interest, peti potest. cuius ratio hæc fieri potest, & simul tacite obiectioni responsio, Quamobrem non est taxatum, prout in casibus certis. Ideò hoc fuisse factum, quia in vno grauatur actor, in casibus incertis ratione difficilis probationis, quę in iis accidit, § discretis, in authen: quibus modis, natur: efficiantur sui. Ideò in alio releuatur, videlicet, vt totum damnum posit petere: vt hîc, & probatur in l. eũ qui, ff. de iure Iurando, sed incertis faciliùs probatur quòd interest, Ergo ad duplum fuit taxatum.

Nonò.

Quæro, qualiter Interesse in Iudicium deducatur? an per viam actionis, an verò per officium Iudicis. Dynus hîc in regula Mora, de regulis iuris Pontificii probat multis rationibus, quòd per officium Iudicis, sed quoniam extra propositum est longas & profundas hîc disputationes instituere. Igitur breuiter, cum Bartol. sensum quæsiti nostri, declaro. Et Dico, aut in obligatione est fieri, & sic, interesse venit Iure Actionis, l. stipulationes non diuiduntur, § Celsus: de verbor: obligationibus, l. stipulatus sum mihi Stichum § finali & l. quoties, eodem titulo, & l. finali. ff. si quis in ius vocatus non ièrit. Aut in obligationem venit rem dari, & tunc aut in contractibus, nominatis, consideratur, & sic interesse, venit officio Iudicis vt l. promissor hominis, de constituta pecunia, l. vinum, ff. si certum petatur, l. si seruum in fine, ff. de verb: obligati: Aut consideratur illud dari; in contractibus, innominatis & tunc venit interesse per viam actionis, vt, hîc in glos: legis nostræ & per legem naturaliter, de rerum permutatione.

Decimò.

Quæro qui dicantur casus certi, & qui incerti? Respondetur, casus certi dicuntur, qui habent certam quantitatem respectu sui, vel adiuncti. Respectu sui, vt si certam quantitatem, puta decem dolia vini, promittas, vel speciem vt Stichum, siue in genere, vt equum, quia cùm debeatur mediocris, adhuc diceretur casus certus, l. legato. generaliter ff. de legatis. Respectu

adiuncti

adiuncti, vt in contractibus correlatiuis, videlicet, emptione, locatione, & similibus, inquibus licet factum traditionis interuenerit, seu vti frui, & sic incertum: Respectu sui erunt incerti, tamen merces adiuncta, est certa, igitur ratione adiuncti, dicetur certum, & partes, tanti factum: vel non factum, videntur, æstimare quanti mercedem, seu præcium. quare interesse non poterit, excedere duplum illius præcii. Secundò, casus certus dicitur, qui habet certam naturam. Certam autem naturam habere: Est, quando habet ea, quæ tacite, intelliguntur deducta, licet non exprimantur, vel ex consuetudine, vel ex alia causa, vt in Emptione, venit de natura Cōtractus, euictio, & si non fuerit promissa, l. pactum ff de contrahenda Emptione. Item, dicitur de natura quod rei accidit regulariter, l. cum quid, ff. si certum petatur.

Incerti verò casus dicuntur, qui non habent certam quantitatem vel naturam, respectu sui vel adiuncti: vt si promisisti pro me ire Romam, respectu sui est incertum, cùm omnia facta incerta sint, l. vbi, § qui id quod, ff. de verborum obligati. Item, nullum est adiunctum certum, igitur dicitur casus incertus secundùm Bartol.

Hic etiam addi potest, intellecta, quantitatis & naturę definitione, non inutilis quantitatis, & naturę diuisio: Et in qua significatione vtraque, Imperator, & nos in proposito nostro accipiamus. Sciendum itaque est, quantitatem in duplici esse differentia: aliam continuam, aliam discretam. Discreta siue materialis est, aggregatio vnitatum, quę terminantur ad vnum terminum, vt decem. Namsi ad diuersos numeros terminantur, sunt diuersi numeri, & diuersę quantitates, vt quinq; & quinq;. & de hac, in l. vt fideiussor, ff. de fideiussoribus. Continua verò est, quando sunt plures partes formaliter tendentes ad vnum, & eundem numerum, vt glebe ad fundum, membra ad hominem, l. si seruus, §. bonę, ff. de condit: furtiua. Et Baldus concludit, quòd diuerso respectu, vtrumq; in proposito nostro potest accipi: Et hæc de quantitate.

Ad naturam veniamus. Et sciendum ęst, naturam in triplici esse differentia. Primò, accipitur pro proprietate seu rei potestate, vt si dicatur, hominem sua natura ridere. Ex natura contractus, omnia in iudicium veniunt, id est, ex proprietate contractus, vt in contractibus bonę fidei, bona fides exuberare debet, § Actionum, Instit: de actionibus: in contractibus stricti Iuris id venit, de quo nominatum actum est, l. quicquid, ff. de verb: obligat.

 Secundò

Secundò dicitur natura, pro re alteri commensurabili, seu compensabili, vt in emptione & venditione, res est prætio commensurabilis, seu compensabilis, quia contrahenti, tanti videtur res quanti prætium arg. l. 1. ff. de rebus dubiis, l. Si ita stipulatio, §. finali, ff. de operis libertorum.

Tertiò, accipitur natura, pro natura naturata, id est, pro quolibet indiuiduo, vt homo, equus, mulus, gl: in l. respiciendum, ff. si certum petatur: & hoc vltimo modo in proposito nostro accipitur, vt etiam superius diximus definiendo certum respectu sui, & per l. legato generaliter, ff. de legatis primo

Præsuppono vltimò.

Quædam scitu necessaria de Mora. Et primò quæro: Quid sit Mora? Moram Ioannes Corasius lib: 2. Miscellanearū Iuris Ciuilis cap: 6. definit, siue potius describit. Est debiti soluendi vel crediti recipiendi, à Iure improbata & punita dilatio: sed hæc videtur paulò obscurior esse, ideò ego pono aliam. Mora, est tēpus, in quo quis interpellatus, scienter non facit, quod in eo facere potest & debet. Dico scienter, quia ad hoc, quod quis dicatur morosus, requiritur quod sciat se debere, scire autem præsumitur, si monitus sit, à die vel ab homine. Dixi & potest, quia etiam requiritur, quod habuerit dandi possibilitatem, vt colligitur ex l. quod te, ff. de rebus creditis, & hæc quoad definitionem.

Præuia... is Mygerium turia 3 bserua... ne, 95. Vide Re... ff: in ...oæmio ...gis nōræ ...u: 38. & ...9. Itē in ...xplicati... ne glo: le... is nostræ ...uæ est in ...erbo sub... ...litatē N: ... & §. ...urare In... ...it de ac... ...ionibus.

Secundò, sciendum est, quis sit in mora: Et dico quòd obligatus ex delicto, semper est in mora, l. in re furtiua, ff. de condit: furtiua. Itē, Obligatus ex contractu, si est ad certum tempus, statim post illud, est in mora; etiā si non fuerit admonitus, * quia dies interpellat, pro homine, l: magnam, C. de contrahenda stipulatione.

Tertiò sciendnm est: Ad quid teneatur debitor morosus vel emptor. Et dico, quod tenetur ad interesse damni habiti, & lucri cessantis, dummodò sit talis persona, quę verisimiliter fuisset iustè lucrata: † quod Iudex debebit æstimare, pro quo est textus, in l. 2. ff. quod certò loco, in fine.

Vltimò sciendum est, quomodo purgatur Mora. Et dico, quòd ex celeri solutione, ante requisitionem facta: vt patet, in cap: & tuę, de clericis, non residentibus. Et similiter si obtulit, post moram, tempore debito, rem integram, qualitate non vitiatam.

His ita præmissis, quæstioni meæ respondeo quatuor Conclusionibus.

His

CONCLVSIO PRIMA.

Interesse peti potest & augeri, à die moræ, in odium debitoris morosi.

VT melius veritas huius Conclusionis enucleari possit, in quatuor partes eam diuido, quarum in prima dicam, quod interesse peti potest: in 2. augeri: in 3. à die moræ: in 4. in odium debitoris morosi. 2. ibi, & augeri, 3. ibi, à die moræ. 4. ibi, in odium.

Pro Prima parte: videbatur dicendum contrarium, Quod imò interesse peti non potest. Si enim peteretur, vel eo modo quo fructus, vel quo vsura, vel quò pœna. Non vt fructus, quia eo nomine petitur illud, quod superest de ductis impensis, quæ fiunt gratia colligendorum, & conseruandorum fructuum: vt vult Bart: in l. ex diuerso, ff. de rei vendicatione. Atqui hîc nulla horum militat ratio. Ergo: Non vt vsura, quia illud quod vsuræ nomine continetur, est certum quoddam emolumentum quod quis ex re mutuata percipit, vltra sortē. † Atqui petitio huius emolumenti Iure Ciuili & Canonico prohibita est, vt tot tit: extra de vsuris. Ergo etiam interesse, cum quoddam emolumentum sit vltra sortem, peti non potest. Non vt Pœna, quia quod nomine pœnæ petitur, statim ab initio determinatū, certum taxatum, per pactum seu conuentionem fit. Interesse autem ab initio est incertum, sed ex post facto, & futuro euentu declaratur: Ergo eo modo, quò pœna, interesse peti non potest. His tamen non obstantibus, veritas nostræ positionis in contrarium probatur, per l. datio, §. Si per venditorem, ff de actione empti. Et l. si Calendis, ff. de re iudicata, vbi expresse habetur, quod interesse peti potest, & augeri à die moræ, in odium debitoris morosi. Sed quoniam ratio est anima legis, vt inquit Iason in l. quod dictum, ff. de pactis, eam ob causam opinionem legis, confirmo aliquot rationibus: Prima: Illud peti à iure non prohibetur, quod sibi vel ex contractu, vel ex quasi contractu: vel ex delicto, vel ex quasi delicto debetur. Atqui interesse diuersimodo consideratum, his omnibus modis, contractuum debetur, l. in re furtiua, ff. de condit: furti: l. magnam, C. de contrahenda stipul. Arctiuus, §. non solum. Instit: de verborum obligat. Decius, consilio 323. Aff. decis: 20. Bartol: in l. 2. §. fin. de eo, quod certò loco: Ergo interesse peti potest.

Prouid[...] adsolut[...] nem hu[...] argum[...] præsup[...] situm [...] cundum[...]

† Vid[...] Rebuff[...] præfa[...] one l[...] nostræ [...] 30. 32. aliquo[...] quit.

Secunda, Pœna propter delicta peti non prohibetur, vt toto tit: de actionibus quę ex delicto. Atqui interesse est pœna, mora autem creditoris, est delictum, l. Omne. §. 1. ff. de re militari: Ergo assertio nostra vera.

Tertiò valet argumentum, ab vsura, ad interesse, propter identitatem rationis, quę inpari causa paria Iura desiderat. Atqui vsurę peti possunt: Ergo etiam Interesse. Minor, sunt concesse à Iure: ergo peti possunt. Consequentia patet, per regulam Iuris, quod iure permittente fit, vt pœnam non meritur, ita peti non prohibetur.

Antecedens late probatur, per l. eos, C. de vsuris. Bartol: in l, 1. col: 3. C. de summa Trinitate & fide Catholica, Philip: Decius in cons: 160. Ex quibus colligitur vsuras permissas esse.

Quartò, Si interesse peti non posset, vel ideò quod recipiens, vel ideò quod soluens, contra leges faceret. Atqui hoc, neutro modo dici potest: Ergo. Non primum patet per supradictum, vbi quod lege permittente fit pœnam non merctur. Confirmatur per l. Grachus, C. de Adulteriis, & per l. finalem, ff. quod quisq; Iuris.

Non secundum patet, per gl: in cap: debitores, in vers: reddere. De Iureiurando, vbi expresse habetur, quòd is qui interesse soluit, non facit contra leges.

Quintò, Reipub: interest, vt via dolis & maleficiis præcludatur, l. si longius, §. 1 ff. de Iudicis, l. ita vulneratus, ad l. Aquiliam, cap: vt famę de Sententia excommunicationis. Atqui per petitionem Interesse, dolis & maleficis, quibus aliquando debitores in mora sunt, via præcluditur. secundùm illud vulgare: Oderunt peccare mali formidine pœnę: Ergo. Hac parte conclusionis ita probata, facilè patet responsio, ad contrariam opinionem, scilicet argumentum illud nil concludere, quoniam appellatione pœnę non continetur interesse, quia pœna ab initio contractus, hoc ex post facto, debetur, nec appellatione rei debitę, per l. & eleganter, §. non solùm. ff. de dolo. l, loci corpus, §. inconfessaria, ff. si seruit: vendit: Nec appel: vsurarum, quia illud propter emolumentum, commodationis, hoc propter damnum emergens, & lucrum cessans petitur, vt late patet ex præsupposito, sextò: Ergo licet non potest peti vt vsura, vt pœna, vt fructus, potest tamen peti vt interesse. Et hæc quò ad primam partem.

Venio ad secundam, & cùm in Conclusione dicatur, & augeri, videbatur: potius dicendū contrarium. Quia pœnę debent comēsurari delicto, l. 1. §. cùm

cùm patronũs, ff. de off. Præf. vrb. Ergo non debet augeri.

Secundò, Legis terminatione, quilibet debet esse contentus, l. Si non fuerit, §. fin. ff. pro sotio. Atqui terminatum est interesse, vt patet ex l. nostra, vbi in casibus certis, vltra duplum peti non potest: in casibus autem incertis, subtilitate Iudicum perquiritur, vt reuera, id totum, quod interest restituatur: Ergo ex his colligitur, interesse augeri non posse.

His tamen non obstantibus contrarium per conclusionem nostram deciditur. Et confirmatur per l. Quicunq; C. De seruis fugitiuis, l. capit. §. solent, ff. de pœnis: vbi augetur pœna, ratione consuetudinis delinquendi, & reiterationis, & multiplicationis delictorum. Item, per l. penultimam, ff. de parricidiis. l. nemo. C. de Sũma Trinit: & fide Cathol: vbi pœna augetur, ratione dignitatis, offensi. Item, per Innocentium, in cap: 1. de constit: & per Bartol: in cap: 1. quibus modis feuda, amittantur: & in authen: Sed nouo iure, C. de seruis fugitiuis, & in cap: vnico, §. Iniuria, de pace, iurament: firmat. vbi pœna ratione immanitatis sceleris, etiam si statutum legis excedat, augeri potest. Item, per l. aut facta, §. final. l. capitalium, §. grassatores, ff. de pœnis, §. sed & quod principi Instit: de Iure nat: gent. & ciuili. Vbi augetur & exasperatur pœna, ratione exempli aliorum. Item, per l. aut damnnm, §. quisquis, ff. de pænis. l. relegati, ff. eodem. Vbi ratione inobedientię augetur pæna. Atqui interesse propter moram & consuetudinem delinquendi, & dignitatem offensi & immunitatem sceleris, & ratione exempli aliorum, & propter legis inobedientiam. A Iure introductum est: Ergo augeri potest.

Tertiò Si pæna augeri non potest à Iudice, vel ideò quòd sit communis, vel quòd ordinaria vel quòd statutaria, vel etiam quòd in casibus, in quibus Iudex non per inquisitionem; sed per accusationem procedit, augeri prohiberetur. Atqui, quocũq; ex supradictis modo consideratur, nõ potest ab auctione prohiberi: Ergo.

Maior à sufficienti pænę diuisione.

Minor probatur per omnia puncta. Non primum patet ex Ludouici Carerì practica criminali, tractatu de homicidiis, n. 2. 3. & 4. vbi pæna communis, ex causa, arbitrio Iudicis augenda committitur. Non secundò, patet ex quinta disputatione Roberti Maranthę, N. 16. Vbi permissum est Iudici, pænas ordinarias augere, & nouas addere, quod idem confirmat Bartol: in l. aut factum, §. fin. ff. de pænis. Non tertiò ex Misingeri obseruatione 30.

Centuria 2. N. 5. vbi asserit, supradictum dogma, non solum Iure communi procedere; sed etiam ad ius municipale, siue statutarium, vires suas extendere: ita, vt si statutum imponat certam pænam pro aliquo crimine, Iudici liceat ex causa, illam mutare in aliam: ita Bartol: in §. pæna grauior, & in l. vltima, ff. de receptat. Baldus in l. & si seuerior. Abb. cap: 2. de delictis puerorum. Et l. lex Iulia, §. finali, ff. ad legem Iuliam. l. mulier, ff. soluto matrim. Vbi, licet per statutum, pæna mortis pro homicidio, est introducta, tamen in potestate Iudicis est, pænam ex causa minuere, & homicidam deportare. Non vltimò declarat Paulus Grillandus, in tractatu de relaxatione carcerat. cap: 1. ℣. sexto, non omittam. quibus adde Parid. de Put. in tractat. de Syndi: verbo pæna, §. licet dicatur §. an si statutum §: quia multum possunt, fol: 134. vbi contra Hostiensem Marsilium concludit, Iudicem hoc arbitrium alterandi, augendi, pœnam, habere, siue procedat per inquisitionem, siue per accusationem: Ergo statuendum est interesse augeri posse. Ex quibus ita probatis, Argumentis, in contrarium obiectis, respondeo.

Ad primum: Illud argumentum nil concludere. Si enim debent commensurari: Ergo, vbi grauior delicto causa accesit, grauior pæna irroganda est, quę sapit naturam auctionis, auctio rursus, naturam commensurationis delicti.

Vide Dy in Regula Mo. Nu: 4. Ioannē orasium Miscellanearū Iuris Ciuilis lib: 2. cap. 7. Præuideas Philppum Decium de Reg: Iuris Reg: Cum tempus.

Ad secundum: Dogma illud verum esse in casibus à Iure expresis, secus autem in casibus dubiis, vt in casu nostro: in quibus vt Iudex ex officio suo potest procedere; ita etiam ex arbitrio suo pænā siue interesse, augere poterit, vt colligitur ex l. nostra. Et hęc quò ad secundam partem.

* Venio ad tertiam: Et cùm in Conclusione dicatur à die mora, dubium faciebat in contrarium. Nam: quod in fauorem alicui concessum est, non debet in eius lęsionem & odium retorqueri. l. clarum, C. de Authen: pręst: l. acta, §. contra indefensos, ff. de re iudicata. l. Si Iudex, ff. De minoribus. Atqui dies & tempus solutioni, adiectus est in fauorem debitoris, l. cùm qui Calendis, §. finali, de verborum obligationi: & textus in §. Omnis, vers: quod in diem, Instit: de verb: oblig. l. post mortem. C. de fidei comissis, l. patrem, ff. quę in fraudem creditoris: Ergo interesse à die morę in odium debitoris peti non potest.

Secundò: Tempus non est modus inducendę vel tollendę obligationis, l. obligationem ferre, §. placet, de actionibus & obligat: cùm tempus sit quippiam

quippiam naturale, obligatio ciuile. naturalia autem non possunt tollere ciuilia. Præterea non enumeratur tempus, inter modos, inducendi & tollendi obligationes: Ergo quia solummodò ea petuntur, quę ex contractu per obligationem debentur.

Tertiò. Si interesse veniret petendum, à die morę, vel ideò quod incipiat deberi ante moram, vel quod statim post moram. Non primo modo, quia hoc esset contra naturam Interesse, quod ab initio non est certum, per conuentionem. Quia sic potius esset pæna, vel vsura, & non interesse, vt volunt hîc communi D. D. & Dinus in Reg. mora, de Regulis iuris in 6. Sed ex post facto & futuro euētu declaratur, vt hîc, Oinot: §. fin. Instit: de verborum obligationibus, N. 15. Non secundo, patet ex supra allegatis: Ergo à die morę interesse peti non potest.

Quartò. Quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrariū, l. omnimodo, C. de inofficio testamento, l. cùm quidam, l. cùm pater, §. rogó. ff. de lega: 2. Ergo à die morę quousq; debitor, legitimis exceptionibus se tueri potest, & non est conuictus, quòd sua culpa & dolo fuit in mora. Interesse peti non potest.

His tamen non obstantibus, contrarium per nostram conclusionem probatur, sczt, Tempus & diem esse inductiuum obligationis, vt colligitur ex l. cędere diem, ff. de verb: signifi. vbi venire diem significat, eum diem venire, quo pecunia peti potest, siue dies illa sit expressa, vt l. quę in hoc anno, ff. eodem, vbi certa est obligatio. Licet ante diei euentum, illud quod in obligationem deductum est, peti non potest. Siue sit illa, quę tacitam temporis dilationem præstat, l. interdum, l. continuos, , cùm ita, ff. de verb: obligationibus, . cū igitur plures verbo, & si intra hoc tēpus. Insti: de bonorum possess. Vbi centeni dies, qui succedenti dantur, ex eo tempore cędere incipiunt: ex quo illi possessio defertur, competereq; incipit. Adeoq; hoc verum est, vt etiam dies incertus, adiectus obligationi, obligationem non vitiet, sed imò confirmet, l. tempus, de hæredibus instituendis, & ratio est: quia dies incertus, conditioni æquipollet, & pro conditione habetur. l. dies incertus, de condit: & demonstratione. Confirmat hanc nostram assertionem, Ioannes Corasius in lib: 2. Miscellanearum, Iuris ciuilis, cap: 12. N. 7. vbi in hūc casum: *Nec mihi satis differentiæ ratio, quā scriptores nostri prodiderunt. Cùm enim locus destinatæ solutionis, uti dies, pars sit ipsius obligationis, l. 1. § diem, ff. de edendo. Nam & eius detractione adiectioneue, plus aut minus deberi dicitur, §. plus autem, §. loco plus petitur, Institutionum de Actionibus, & per l. Si cui 12 ff. de* Dies locus oblig onis

ff. de verborum obligationibus. Cùm item pacta incontinenti facta, contractui inesse credantur, l. lecta, vers: dicebam, ff. de rebus creditis: imò pars intelligantur ipsius contractus, l. fundi partem, ff. de contrahenda emptione, datũ arbitrium Iudici, propter loci adiectionem, non præter naturam contractus stricti iuris, (quem cum qualitate loci spectamus, non etiam per se, & in suo statu orignali primo & genuino) sed maximè secundùm eiusdem contractus, cui ita nominatim locus destinatæ solutionis adiectus est, naturam, censemus, &c.

Ex quibus verbis, & aliis quę ibi habētur, veritas positionis nostrę colligitur.

Hoc idem confirmo aliquod rationibus.

Illud quod in obligationem deductum est, vt communiter concludunt D.D. quolibet tempore peti non prohibetur. Atqui interesse à die morę in obligationẽ deductũ est, l. 1. §. diem, ff. de edendo. Ergo statìm à die morę peti potest.

Secundò, Postquam conditio siue tacite, siue expresse addita contractui, sortita est euentu suum: statim obligatio nascitur, & peti potest illud, de quo vel conuentum est, vel tacitę ex natura contractus promanat, § cum condit: Instit: de verb: obligat. Atqui in contractu siue dari, siue fieri, à die morę, conditio ex qua ad interesse agitur, consecuta est euentũ suum, diem scilicet, quę æquipollet conditioni, l. dies incertus de condit: & demonstr: Ergo à die morę interesse peti potest.

Tertiò, Lites debent citò terminari, l. properandum in princip: C de Iudicis: Ergo etiam in hoc casu, vt lis cito terminetur, statim peti potest, interesse à die morę.

Ex quibus ita probatis, Responsio, patet ad contraria argumenta.

Ad primum, Maiorem illius argumenti concedo. Minorem verò, dico: proposito nostro minimè conuenire. Licet enim dies in fauorem debitoris adiecta est: Verum hæc intelligenda sunt, quando solummodò agitur de interesse hæredis, l. cùm tempus, de regulis Iuris: quod ad casum nostrum non extenditur.

Ad secundum. Quando dicit, quòd tempus non est modus inducendæ obligationis. Verum est, simpliciter tempus considerando: secus autem considerando cùm causa, quę tempori copulata inducit obligationem.

Ad tertium Argumentum illud nil concludere, licet enim ex postfacto & futuro euentu, interesse declaratur, tamen si largo modo consideretur, potest etiam, licet non expresse, ante euentum morę, in obligationem induci. Ita quòd non amittat naturam interesse, vt vult Decius in consil: 116. Et ita

considera-

consideratum, peti potest statim à die moræ, quæ est apposita conditionis instar, l. dies incertus, de condit: & demonstrat. qua secuta, tenetur, quilibet ad id, quod deductum erat in obligationem.

Ad quartum ℞. dupliciter: Primò generaliter, ad illam regulam, scit. veram esse in casu penitus dubio secus in notorio, vel dubio coniecturaliter. Secundò, Quoad nostram positionem sic: quoad primam partem argumenti. In dubiis verisimiliora sequenda sunt, l. semper in stipul: ff de reg: Iuris. Atqui verisimilius est, hominem ex maleficio moram fecisse, quàm propter causam aliquam legitimam, qui ex sua natura immutabilis, & pronior ad malum. §. sed naturalium, Instit: de Iure naturali, l. eas obligationes, ff. de capit: diminut: Ergo ex his patet regul: hic locum non habere.

Ad secundam partem argumenti, oppono legem, Celsus, §. 1. ff. de arbitris, & quæst: 108. D. Th: 2. 2. art: 4. Ex quibus patet quod licet aliquis, nō puniatur propter culpam benè verò potest puniri propter causam.

Ad tertiam partem argumenti respondeo: Quod conuincibilis habetur pro conuicto. Atqui creditor, ex quo fuit in mora, est conuincibilis, quia contra morosos omnia iura clamant. A conuicto autem potest peti: Ergo etiam à moroso qui propter conuincibilitatem iam conuictus esse censetur.

Et hæc quoad tertiam partem. Venio ad Quartam. Et cùm in textu dicatur in odium, videbatur potius dicendum, quòd non sunt facienda mala, vt eueniant bona, gl. in l. qui prætextu, C. de sacrosanct: Eccles. Atqui odium est malum, siue respectu quoad Deum. D. Th. 2 2. quæst. 34. art: 2. siue quoad proximum, ibidem, art: 3. & 4. Ergo in odium interesse peti non potest.

Secundò, Vbi in constitutionem concurrunt, fauor & odium: magis attenditur fauor, secundùm Panormit: in cap: non dubium de sentent: excommun. Atqui in casu nostro concurrunt, fauor, ex parte debitoris, odium ex parte actoris, §. in pœnalibus de regulis iuris. § commodum Institut: de interdictis. l. qui accusare, C. de edendo: Ergo.

Tertiò, Odia restringi, & fauores conuenit ampliari, l. odia restringi de regulis iuris l. cùm quidam, ff. de liber: & post: atqui petere est odium, non petere est fauor, l. Arianus, ff. de actionibus & obligat: Ergo in odium debitoris peti non potest interesse.

His tamen non obstantibus, contrarium per nostrā positionem asseritur. Nullum enim peccatum inuenitur, in consiliis, & præceptis legis diuinæ, secundùm

cundùm illud Prouerbiorum 9. Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum, quid, & peruerſum. Atqui Lucę 14. dicitur: Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, non poteſt eſſe meus diſcipulus: Ergo vt non omne odium proximi eſt malum. Ita non erit malum, ſi quis in odium debitoris petat intereſſe.

Secundò, Nihil poteſt eſſe peccatum, in quo Deum imitamur; ſed imitando Deum, quoſdam odio habemus. Dicitur enim Rom: 1. Detractores Deo odibiles: Ergo poſſumus aliquos odio habere abſq; peccato.

Tertiò, Nihil naturalium eſt peccatum, quia peccatum eſt receſſus, ab eo, quod eſt ſecundùm naturam. Sed naturale eſt, vnicuiq; rei, quod odiat illud, quod eſt ſibi contrarium, & quod nitatur ad eius corruptionem: Ergo non videtur eſſe peccatum, quod aliquis & habeat odio inimicum ſuum, & faciat aliquid in odium inimici ſui.

Quartò, Si odium eſſet malum, ſiue peccatum, vel eſſet veniale, vel eſſet mortale, ſiue capitale.

Non primum. Non eſt peccatum: Ergo nec veniale. Conſequentia vera.

Antecedens probatur. Qui odit non proximum, ſed eius prauos mores & inimicitias, non peccat contra charitatem, quia Deus etiam odit impios, & eorum impietates. Et qui odit bonum proximi, etiam ad bonum finem, vt puta ad correctionem, non peccat: quia hoc eſt magis amare proximum, quàm odire. Et qui vellet proximum puniri, iuſtitia mediante, ſecundùm eius demerita, non liuore vindictę; ſed zelo iuſtitię, vt & alii timeant, non peccat, quia hîc eſt actus iuſtitię vindicatiuę.

Non ſecundum, Quia non enumeratur odium, inter ſeptem vitia capitalia, vt patet, nec directę contrariatur charitati, ſecundùm D. Th. 2. 2. quęſt: 34. art: 5. Ergo in odium debitoris, cùm odium non ſit peccatum, intereſſe peti poteſt.

His ita probatis, Reſponſio ad argumenta in contrarium producta patet.

Ad primùm: Illud non eſſe verum ſimpliciter. Sæpè enim minus eligitur malum, vt effugiatur maius: Ergo ſunt facienda mala, quę reſpectu maiorum, malorum ſunt bona. nec auth: D. Th: nobis præiudicat: hîc enim nos non loquimur de odio, quod directe contrariatur charitati: ſed de odio quod opponitur, vitiis tantummodò alicuius, non perſonę. quale non eſt malum, ſed imò actus virtutis, quia magis cauſatur ex amore, quàm ex odio proximi: vt D. Th. hîc locum illum explicando.

Ad

Ad ſecundum: Maiorem illius argumenti eſſe veram, tunc, quando attenditur fauor priuatus. Atqui in caſu noſtro, ex parte odii, eſt ius, & vtilitas publica. l. 2. §. exercitum, de iis qui notantur infamia: Ergo fauor hîc non eſt extendendus, in perſonam debitoris, ſed in publicam vtilitatem, quę debet præferri commodis priuatorum.

Ad minorem eiuſdem argumenti: Reſpondeo negatiuè, & leges illas, nihil probare aſſero. Quia intelliguntur, vbi de pœna agitur: hîc autem in caſu noſtro agitur, de intereſſe, & de remouendo fraudem, vnde ne diſpoſitio eluſoria reddatur, extenſio fit in fauorem creditoris, cap. Si ciuitas, de ſent: excommunic.

Ad tertium: Illam regulam veram eſſe, in caſibus dubiis, l. cùm quidam; l. quoties, idem ſermo, l. quoties nihil, ff. eodem: vbi habetur, certum eſt, in re dubia, fauorabilem cauſam potius aſſumi deberi, quàm odioſam. Atqui hîc ſumus in caſu certo: Ergo regula locum non habet.

Ad minorem eiuſdem argumenti, dico: Quod vbi petitio fit alicuius rei, in qua publicum bonum conſideratur: non dicitur peti in odium, vt in caſu noſtro, ſecus ſi priuata vtilitas, l. 2 ff. de his qui notantur infamia. Et hæc quò ad quartam & vltimam partem concluſionis primę. Patet itaq; ex iſta particulari concluſionis noſtrę probatione, Intereſſe peti poſſe à die morę in odium debitoris moroſi.

Ex hac Concluſione, ita probata, elicio aliquot Corollaria.

COROLLARIVM PRIMVM.

Moroſus debitor, ſi res perjt, omni caſu de illa tenetur, etiam in caſu fortuito.

Præuidea ad hoc Corollarium diligẽtiſsimè Ludouicum Lopeƺ, in tractatu de cõtractibus, & negotiationibus, lib 2. tit: 34 per totum

CONfirmatur hoc Corollarium, per expreſſum textum Iuris, l. quod te. §. 1. ff. de rebus creditis, vbi, quod te mihi dare oporteat, ſi id poſtea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum conſtat.

Adeoq; hoc verum eſt, vt etiamſi res eodem modo apud creditorem peritura fuiſſet, quemadmodum apud debitorem ſua ſponte periit, vt docet Pomponius in l. Si in Aſia, 12. §. vltimo, ff depoſiti, vbi, ſiue ex teſtamento, ſiue ex

ue ex stipultau, siue ex deposito. si post acceptũ iudicium, res interierit, cum detrimento rei, (id est, retinentis, vltra præscriptum tempus, siue depositum, siue rem testamento legatam) pereat. Quod idem planissime confirmat textus, in l. si seruus, 108. §. Si seruus 11. ff. de legat: 1. vbi dicitur: Si seruus legatus sit, & moram hæres fecerit, periculo eius. (id est, hæredis) deterior fit. Et in l. si duo, 16. §. ergo, 3 ff. de pecunia constituta, vbi non attenditur, vtrum apud creditorem res peritura fuisset: sed an debitor, in mora fuerit. Et quod magis est debitor ita tenetur ex mora, vt etiam in casu fortuito non excusatur: patet per Panormitanum, in cap: vnico, de commodato, in gl: vbi expresse habetur, quando præcessit mora: vt quia tempore debito non restituisti, rem commodatam, & perijt, tibi casus fortuitus imputabitur, & in cap: bona fides, de deposito, vbi casus fortuitus non excusat.

Confirmo hoc idem rationibus.

Vbi culpa præcessit casum, ibi locus non est excusationi propter casum, l. etiam, §. licet, ff. soluto matrimonio. Præterea vbi aliquis delinquit, sub spe veniç consequendç: non excusatur propter casum fortuitum, l. fluminum, §. Item apud, ff. de damno infecto. Præterea quando pactum intercessit, vt teneatur de casu fortuito: non excusatur propter casum, tũ quia pacta seruari debent, tum quia volenti & renuntianti fauori suo, nulla fit iniuria, l. ex empto, ff. de actione empti, cap. ad Apostol: de regularibus, l. penult. C. de pactis. Atqui omnibus his casibus, morosus præsumitur in mora fuisse: Ergo non debet excusari, propter casum fortuitum.

Secundò, Indelictis casus fortuitus non excusat, vt in furto, l. 1. de offic: Præfec: vigil. & in l. cum duobus, §. damna, ff. pro socio. Atqui mora delicto & furto æquiparatur, l. inter stipulantem, 83. §. penultimo, ff. de verb: obligat. Ergo casus fortuitus non excusat debitorem morosum.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Ignorantia non excusat à mora, & à restitutione damni emergentis, & lucri cessantis.

Hoc Corollarium probatur: Si ignorantia excusaret à mora, & à restitutione:

cution e interesse, vel ideò, quod ignorans potuisset excusari, propter ignorantiam eorum, quę tenetur scire, vel propter ignorantiam affectatam, vel propter inuincibilem, vel propter crassam & supinam, vel propter ignorantiam iuris, vel facti. Non primo modo, quia quilibet tenetur, scire ea, quę ad officium suum vt: D. Th. 2. 2. quæst. 72. art. 2. Non secundo, quia hoc modo debitori placet nescire, quę tenetur scire. & hæc vt vult D. Th. non excusat, à quacunq; pœna, nec minuit vitium, quia non minuit voluntarium; sed auget, ideò aggrauat peccatum, ex intentione voluntatis ad peccandum. Non tertio, quia omninò locum non habet, in moroso debitore. licet enim tanta grossitie intellectus: vel maxima difficultate, à retentione in memoria debiti, impediatur: tamen ex quo, à die, quę pro, homine interpellat, l. magnam. C. de contrahenda stipullat: interpellatus est, non præsumitur, hæc ignorantia locum habere. Non quarto, quia communiter scita ab omnibus, non excusant eum, quem maximè scire oportebat, l. late, & l. magna, ff. de verb: signif. non videtur enim possibile, eum non dolo & consulto non fecisse, vt Panor: in cap. Apost. de cler. excommun. minor. & l. cede diem. §. vltimo, ff. eodem. Atqui morosum debitorem esse in mora, iam creditori, & aliis constat: Ergo morosum, quem maximè scire oportebat, ignorantia non excusabit ab Interesse.

Præu... as ad Corol... um, ... suppo... 4. & annem... rasium... scellen... rum I... Ciuilis 2. Cap...

Non Iuris. Patet ex gl. sing. l. ambiguitates: ibidemq; D. D. C. de testamentis, vbi etiam mulieres & rustici, in illis, quę ad formalem actus substantiam pertinent. Licet Iurisconsultorum, consilium habere non potuerunt, propter iuris ignorantiam non excusantur. Præterea, si quis errauit in eo, in quo sufficit dolus præsumptus, vel lata culpa: tunc siquidem erat publicè notum, vere vel iuris præsumptione. Iuris ignorantia non excusat, l. leges sacratissimę. C. de legibus. Præterea iuris ignorantia naturalis, non excusat, vt si filius & libertus dicant se ignorasse, quod non debuerunt inferre patri, & domino iniuriam, debitor asserat se ignorasse teneri ad debitum restituendum, l. 2. C. de in ius vocando.

Non facti, patet aperte, ex l. sed etsi pupillus, §. proscribere, ff. de Instit: vbi is. qui contraxit ignorans proscriptionem factam, non excusatur, siue factum sit publicè notum, vt l. cedere diem, §. vltimo, ff de verb: signif. siue non sit publicè notum, vt l. quanquam, ff. ad Velleianum.

Atqui quolibet præmissorum modo ignorantię, possibile est debitorem ignorantiam incurrere, quę ignorantia quocunq; modo considerata, non

excusat: Ergo Corollarium nostrum, in quo asserimus ignorantiam non excusare à mora, & à restitutione interesse. Est verum.

COROLLARIVM TERTIVM.

Mora ex impotentia causata, non excusat â restitutione Interesse.

HOC Corollarium secundùm Siluestrum, verbo contractus quæst: 2. probatur Commodatum computatur, inter contractus bonę fidei: sicut etiam Venditio, Locatio, Depositum & permutatio. At in contractibus bonę fidei, venit vsura, id est interesse ex mora: quia Iudex potest æstimare, ex bono & æquo, quid venit recompensandum, vel restituendum. Nam in hoc distinguntur contractus bonæ fidei, à contractibus stricti iuris, sczt, stipulatione. Mutuo & similibus: Ergo cùm æquitas videatur suadere, vt commodator seruetur in demnis: etiam in casu impotentię. Dum commodatarius non potest, etiam sine sua culpa impeditus, rem commodatam restituere, in termino præfixo: vt interesse soluat commodatori. Videtur ergo, quod impotentia restituendi, commodatum in termino, ab hoc interesse soluendo non excusat.

Et confirmatur: Si quis ex impotentia, scilicet, quia non potest statim restituere (sine iactura sui status) excusaretur, à statim restituendo in termino, prout alias teneretur. Non propter hoc excusaretur à soluendo principale debitum, & simul interesse: quod ex mora inculpabili restituendi, creditori accresceret: Ergo à simili. Impotentia & mora inculpabilis restituendi in tempore commodatum, si sequatur: non excusabit commodatarium à prædicto interesse soluendo.

COROLLARIVM QVARTVM.

Morosus in restituendo, qui non est in culpa huius moræ, pœnæ conuentionali subiacet.

Hoc

HOC Corollarium, ait duo: Primò asserit aliquem posse puniri sine culpa. Secundò, pænam appositam in contractu exigi posse.

Quoad primam partem: Probatur per expressam, l. Lucius, ff. de euictione, vbi suadente vtilitate publica, punitur quis sine culpa, vt ecce aufertur aliquando res possessori, vt asignetur militi, qui in bello se habuerit virtuose. Item, per l. 1. C. in quibus causis seru: pro: præm: lib: accip: vbi expresse, sine culpa domino, dominium, serui aufertur, & per l. si postulauerit, ff. de adult: l. vlt: ff. de calumni. Adeoq; hoc verum est, vt etiamsi nulla culpa & causa sit, pæna tamen imponatur, patet per expressam, l. prospexit legisl: ff. qui & à quibus, & per l. vnius, §. testes, ff. de proc. vbi sine culpa serui torqueri iubentur, & testes propter culpam & delictum alterius. Vnde etiam videmus, literas Repręssaliarum, nec æquitati, nec iustitię repugnare, licèt repredationes contra quemplam de terra delinquentis, per illas introductę sint. Ex his itaq; patet posse aliquem sine culpa puniri.

Pro secunda parte, sczt, An pæna in contractu apposita exigi possit. Circa hanc positionem, varię sunt D.D. opiniones, quibus declaratur, valde suspectos esse tales contractus: nam multa requiruntur ad eorum validitatem. Vnde pœnam conuentionalem, Siluester asserit, etiam exconsensu partium, In fraudem, in his, quò ad præsumptionem fori exterioris esse appositam, siue excedat interesse, siue creditor consueuit fænerari, siue per illam appositionem aliqua importunitas adferatur debitori, l. Iulianus de empt: & vendit. l. vel vniuersorum, ff. de pign: acti: Authen. ad hæc C. de vsuris. Nec solùmmodò, quò ad præsumptionem Iuris; verumetiam quatenus attinet ad conscientiam, illicita esse in contractibus, ad creditum asseritur: & ita Scotus, in 4. senten: distin: 15 firmiter tenet. Siue creditor, vellet debitotem incurrere pœnam, quàm sic soluere: siue creditor eam apponens, credit quod debitor ex impotentia pœnam incurret. Siue apponatur in fraudem, sczt, ad sic, accipiendum aliquid vltra sortem debitam. His tamen non obstantibus ego contrarium in positione mea assero. Licere cuicunq; creditori, vt se seruet, indemnem, pacisci de pœna sibi soluenda, si sibi non soluatur intempore, quam potest exigere, etiam si nullum aliud amittat interesse. Sed simpliciter: si debitor omittat soluere in tempore in contractu conuento. Quod idem Victor: affirmat & Garcias. lib. 1. de contrac: pag: 364. hac persuasi ratione, sczt, Quia pœna hęc conuentionalis apponitur in fauorem creditoris, & in recompensam sui interesse. Ego tamen pro

decisi-

decisione huius mei Corollarii, cum summa difficultate ac varietate opinionum sit perplexum, & inuolutum. Præmitto, Quòd pactum soluendi aliquid, si debitor in præfixo termino non soluerit principale debitum. posse interuenire in contractu, dupliciter, vno modo sub nomine & intentione pœnę ad coercendam dilationem morosam debitoris. Alio modo, intentione compensandi, sibi interesse damni, aut lucri cessantis, si post moram contigerit.

Si primo modo pœna exigi non potest, sine vsura: præsertim si debitor ex impotentia, vel citra culpam suam non soluit in termino. Quia vbi nulla est culpa, nulla debet esse pœna l. Sancimus. C. de pœnis Si secundo modo: Nihil molitur iniustum, si tale interesse damni, etiam ex mora inculpabili exigat, quia pactum in conscientia valuit, iuxta rectam intentionem creditoris paciscentis. Et ita per hanc distinctionem responsio ad contraria & concordantia opinionum patet.

COROLLARIVM QVINTVM.

Morosus etiamsi á principio contractus, non intercessit pactum, de interesse soluendo, si illud accidit, restituere tenetur..

...de Ioan ...n Cora... ...m Mi... ...ll: Iuris ...ulis lib: Cap. 8. ... 11.

HOC Corollarium probatur: Teneri aliquem ad solutionem interesse, non solummodò si intercesit pactum; verumetiam si non intercesit, & debitor fuit in mora secundùm Panormit: in cap: vnico de commodato. Præterea, si sit debitor in culpa, l. etiam, §. licet, ff. soluto matrimonio: Ergo quamuis non obligabitur ex pacto obligabitur, vel ex mora, vel ex culpa, secundùm Regulam, quòd non valet eo modo quo fit, valet eo modo, quo fieri potest, l. 1. §. eum, ff. de constit. pecunia. Secundò, Qui damnum alicui intulit, tenetur ad restitutionem, etiamsi nullum pactum intercesit, cap: Si culpa tua, de iniuria & damno dato, siue per se, vt toto tit: de leg. Aquil siue per alium, consilium ei præstans, l. nihil interest, ff. ad l. Cornel: de Siccariis.

Atqui

Atqui constat in casu nostro, debitorem propter moram damnum intulisse: Ergo licet, pactum non intercesit, tenetur ad restitutionem.

Tertiò, Ex maleficis delictis, vt furto, raptu, adulterio, homicidio, licet nullum pactum, intercesit: tamen delinquens tenetur, vt late per leges & D. D. Atqui mora æquiparatur delictis, l. inter stipulantem 83. §. penult ff. de verb: oblig: Ergo morosus licet pactum non intercesit tenetur ad interesse.

Quartò, Dolus alicuius, non debet alicui esse damnosus, l. 3. ff. de transf: l. si quis in suo, §. fin: ff. de inoff. test. Atqui debitor morosus præsumitur esse in dolo, nõ soluendo, eam ob causam, quod nõ intercesit pactũ: Ergo.

Quintò, Locupletari nemo debet cum alterius iniuria, vel iactura, l. si quis Presbyter, C. de Episc: & Cler. Atqui morosus debitor, si ideò quod pactũ nõ intercesit excusaretur à solutione, locupletaretur damno creditoris. Ergo licet pactũ non intercesit, nõ debet excusari à solutione interesse.

Cogita nõ damnũ sed lucrũ cessans, quomodo sentiendũ.

CONCLVSIO SECVNDA.

In casibus certam quantitatem & naturam habentibus interesse singulare, non excedit duplum interesse communis.

HÆC Conclusio probatur per expressam, l. Cùm pro eo, C. de sententiis, quę pro eo, &c. Vbi in omnibus casibus, qui habent certam quantitatem, vel naturam, veluti in venditionibus & locationibus, & omnibus contractibus, hoc quod interest, dupli quantitatem minime excedere, & per l. primam, ff si quis testamento liber iussus fuerit, vbi expresse. Itaq; æquũ esse Prætor putauit, calliditatem & proteruitatem eorum, qui hæreditates depopulantur, dupli actione in factum coercere: & §. pæna, Instit: de oblig: quę ex delicto nascuntur. Vbi non manifestis furibus, dupli pœnam, non Prętoris edicto; sed legibus antiquissimis impositam esse constat. & per l. qui tabulas, ff. de furtis. Vbi chirographum surripiens, tenetur: non tantum propter prętium chirographi: sed etiam ad ęstimationem summę, in eo contente, hoc est ad duplum, & per l. I. ff. de tigno iniuncto, vbi lex 12. tab.

Præuideas ad hãc cõclusionem Rebuffum in explic: leg nostra Oinct: lib 2. fol. 251 §. Omnes aũt actiẽ Institu. de actionibus & §. in duplũ, eo dẽ, eundẽ Similiter Misinger eodem lib & §.

 aeque

neque soluere permittit tignum furtiuum, ędibus, vel vineis iniunctum, neque vendicare. Quod prouidenter lex effecit, ne vel ędificia sub hoc prętextu destruantur, vel vinearum cultura turbetur, sed in eum qui conuictus est, in duplum dat actionem.

Constat autem Imperatorem ad taxationem hanc, ad duplum, non autem ad minùs, vel plus, multis rationibus adductum esse. Prima infinitatis vitandę gratia, quę à Iure improbatur, cap: cùm in multis de rescrip: lib: 6. Imperatoris intentio, colligitur ex verbis, l. nostrę in princip. cùm pro eo quod interest, dubitationes antiquę in infinitum productę sint, melius nobis visum est huiusmodi prolixitatem, prout posibile est, in angustum coarctare. Et ex vers: ne dum: vbi, ne dum in infinitum computatio reducitur pro sua imposs ibilitate cadat.

2. Quam Decius hic assignat, quia non est verisimile, quod venditor voluisset obligari in maiori quantitate duplo.

3. Vt mediam viam amplecteretur & mediocritatem, quam variis in locis sequi voluit l. antiqui, ff. si pars hæreditatis petatur.

4. Æquitate ita suadente, in omnibus casibus certis voluit statuere, duplum tantum petendum. Quoties enim nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis, gl. in cap. vt debitis, de appellationibus. Ex hac Conclusione elicio Corollaria.

COROLLARIVM PRIMVM.

Interesse taxatum ad duplum, ne in minimo quidem debet excedere, vel deficere.

HOC Corollarium fundatur ex sentētia Angeli, in sua summa, in versiculo vsura, in princip: quæst. 30. Hæc opinio in conscientia est, in qua, quod verè interest, vel quod legibus taxatum, & non vltra petitur. Confirmatur opinio Angeli per gl. & D. D. in cap. cùm causa, de emptione & venditione. Vbi rescinditur venditio, etiamsi excedat in vno nummo, dimidium & per l. 1. §. item, cùm contra. ff. quę sententia sine app: rescin. cap: cum inter, de re iudicata. Ex quibus, quia lex figit pedem in hoc duplo, si excederet etiam in vno nummo, fieret contra legis prohibitionem. Vnde D. D. cō-

ueniunt in hoc. Si Iudex condemnaret errore Iuris non expresso vltra duplum, etiam in minimo posſit appellari, quia contra hanc legem iudicaret.

Confirmatur hoc idem rationibus.

Prima, In caſibus à Iure expreſsis, omnis ſuperfluitas eicitur, vt not: Bald. per illum tex. in l. 1. ff. quòd metus cauſa. Atqui in caſu noſtro expreſſe Intereſſe taxatum eſt ad duplum: Ergo vt ſuperfluitas iſta vitetur, non eſt extendendum, vltra duplum.

2. Legis determinatione, debet eſſe quis contentus, l. ſi non fuerit, § finali, ff. pro ſocio. Atqui hic determinatum eſſe videmus: Ergo.

3. Valet argumentum, à mandato, ædificante, Examinatore téſtium, Iudicis arbitrio, legato, milite, & filio, ad taxationem intereſſe. Atqui in illis omnibus præſcriptum legis, & mandatum excedere non licet: Ergo

Maior, propter identitatem rationis vera eſt, quę in pari cauſa, paria iura deſiderat.

Minor pro prima parte, ex l. diligenti, ff. mandati Bald: conſil. 483. coniungamus, lib: 1. Guid: Pap. in ſuis deciſionibus, quæſt: 293. quod executor.

Pro ſecunda, ex l. fin. ff. finium regundorum.

Pro tertia, ex cap: cùm cauſa de teſtibus.

Pro quarta, ex §. & iudicare, in Authen: de defenſ: ciuit.

Pro quinta, ex l. non diſtinguamus, §. de officio, ff. de arbitriis.

Pro ſexta, patet ex C. pura, 3. quæſt: 9. Ludouicum de Penna in Rubrica, C. de legatis, col. 8. verſ: 7. caueat, lib: 10.

Valerium lib: 2. de Inſtit: Antiq. cap. 150. & cap. 199. de Poſth. Tiburtum tit: de diſcipl: milit: & habetur, 1. Reg. cap. 14. Et ſic periit Icarius filius Dædali, mandata patris excedendo. Si Poetę vera loquuntur.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Propter affectionem cum vtilitate augeri poteſt æſtimatio.

PRobatur per Bart: in l. vnica C. de ſententiis quę pro eo: & l. videamus, § Iurare, ff. de in litem iurando, Alber: in l. 1. ff. eodem, vbi affectio petitur, & eius ratione condemnatio augetur, quando affectioni cuncta eſt

est vtilitas, vt in libro meo, in quo diu studui, & ideò habeo memoriam localem, & quia multa ibi scripsi, vtilitatem cum affectione. Confirmatur hoc idem aliquod rationibus.

Prima, Res tanto maiori pretio vendi potest, quantò magis valet. At res tanto magis valet, quantò vtilior est, magisque necessaria: Ergo quo fuerit magis necessaria emptori, eique vtilior ratione istius maioris vtilitatis, pro maiori pretio vendi poterit. Si enim licitum est, vendere fundum pro maiori vel minori pretio, quantò minus vtilitatis vel magis attulerit emptori: Ergo ratione maioris vtilitatis, quam capturus est emptor, licebit rem carius vendere emptori.

2. Contrariorum eadem est disciplina. Sed licet emptori rem minoris emere, quando res sibi minus est vtilis: Ergo è contrario licitum erit vendere maiori pretio, quando res empta, ementi, futura est magis vtilis. Nam vtilitas maior accrescens venditori, ex re sua, facit eam magis valere, quia facit eam magis æstimari: sed vtilitas maior accrescens emptori, ex re empta facit eam magis æstimari: Ergo facit eam plus valere, ac per consequens, hac ratione licebit eam emptori pluris vendere.

Vltimo, Sic obiicit Corradus: Ideò triticum tempore, inualescentis famis, carioris est pretii: quia tunc ad conseruationem vitę, vtilissimum est emptori. Et eadem de valore medicinarum temporę pestilentię est ratio: Ergò licebit maioris vtilitatis obuenientis inde, emptori, gratia: pluris illi, rem vendere, puta equum, quo maximè emptor indiget, ad fugiendum pro euasione mortis & tutamine vitę.

COROLLARIVM TERTIVM.

Licet conuenire à principio, vel ante terminum solutionis, super Interesse verisimili lucri cessantis.

Circa hoc Corollarium dubium alicui venire potest, vtrum post editionem, extrauagantis illius, quæ incipit (in eam) Cuius author Pius Quintus, Año 1571. liceat conuenire à principio, vel ante terminum solutionis, super interesse verisimili lucri cessantis. Neq; dubitandi ratio deest, quia

quia id videtur Pius Quintus vetuiſſe in Cambiis: cùm ergo eadem ratio militet in mutuo, & aliis contractibus, videtur neq; in mutuo, neq; in aliis contractibus, licere à principio ſic conuenire, & Ratio eſt: Quia id videtur prohibuiſſe in Cambiis, vt ipſe, ibi ait, ad tollendas fraudes fœneratorum. Sed mille fraudes in mutuo, aliiſq; contractibus, ſolent interuenire: Ergo hæc prohibitio Pii Quinti locum habebit in mutuo, aliiſque contractibus. Verum his nihil obſtantibus ad hæc, per hæc dicta, fieri ſatis putauimus. Quod id pro conſtanti ab omnibus habetur, ſcilicet, licitum eſſe conuenire, à principio contractus. ſed non poſſe recipi intereſſe ceſſantis lucri, priuſquam conſtet, quod recepturus illud, veriſimiliter lucratus fuiſſet: qua ratione dicimus, ad paciſcendum, de lucro ceſante ſpem probabilem requiri, in mutuante vel contrahente de tali lucro, ſczt, quod veriſimiliter illud lucrũ habuiſſet, ex negotiatione, ſi negotiaturus, fuiſſet, vt animo deſtinauerat. Accedit Nauar: in ſumma cap: 17. n. 212. vbi ait: id in cambiis vetuiſſe Pium Quintum, eam ob cauſam, ne ſine tali veriſimili ſpe, reciperetur aliquid lucri, ſed aliquid plus ibi vetuiſſe videtur. Præterea, quod addimus de iure communi, eſſe licitum conuenire à principio, vel poſtea ante terminum ſolutionis, ſuper intereſſe veriſimili, vt certum quid, ſoluatur. Vnde Metina C. de reſtitutione, fol: 132. auſus eſt affirmare ſoluendum eſſe intereſſe veriſimile, à principio conuentum, licet in fine appareat nullum obuenturum fuiſſe, cui ſubſcribit Soto. lib. 6. quæſt. 1. art. 3. de Iuſtitia & Iure. Hæc ſententia eſt Nauar: in ſumma cap: 17. N. vltimo, in expoſiti. extrauagantis Pii Quinti.

Vltimo reſpondemus cum Nau. loco citato, quod licet antea ex Iure cõmuni liceret, ſed iam poſt extrauagantem Pii Quinti, in cambiis loquendo, dum taxat quo ad forum exterius non licet. Sed in cambiis in foro interiori non eſſet illicitum, quando debita eſſet, de tali lucro futuro, moralis certitudo, quia extrauagans hæc (vt innuit) quo ad hoc in præſumptione fundatur. At præſumptio ceſſat in foro conſcientię, iuxta cap. tua, & cap. 15. de ſponſalibus.

Sed an idem ſit in mutuo, quod in cambiis, Nau: inquit. Quod licet vtraque pars diſputando defendi poſſit, tamen Iuri magis conſona eſt pars negatiua, quia in hoc extrauagans hæc de cambiis, eſt velut lex exorbitans, à iure communi, nec eſt extendenda ad lucrum ceſſans in mutuo, neque in conſcientia, neque quatenus attinet ad forum exterius, ſicut neque extendenda

dendã est ad interesse proueniens ex aliis. Quia hoc interesse licet deducere in pactum ex iure antiquo, à Iure autem antiquo non est recedendum, plusquam exprimitur, l. præcipimus, C. de appellationibus.

COROLLARIVM QVARTVM.

Interesse licet extendatur vltra sortem, non sapit naturam vsuræ.

HOC Corollarium probatur, authore Siluestro, vsura 1. quæstio. 28. Pœna quę apponitur solum, vt debitor soluat, exigi potest sine vsura, etiamsi excedat interesse debitum, quia interest publicę vtilitati, vt pacta seruentur: & autho: Bart. Fumo. in sua summa, tit: vsura, N. 3. vbi: Non est vsura, deducere in pactum, vt vltra sortem satisfiat mutuanti, de damno & interesse quod patitur, ex eo, quod seruit amico mutuando. teste Apostol: 2. Cor: cap. 8. & gl. iuris Saxonici, lib. 1. art: 54. quia non tenetur cum suo damno mutuare, & in hoc conueniunt, circa hoc quæsitum omnes D. D. & dicunt. Si creditor vltra sortem accipiat pœnam appositam, & suum interesse lucri cessantis, & damni emergentis, non est vsura, quia nec contra iustitiam.

Confirmatur hoc rationibus.

Primò, Quod iure permittente fit, pœnam non meretur. l. Grachus, C. de adulteriis. Atqui vltra sortem accipere lege permissum est: Ergo.

Minor probatur, per expressam, l. eos, 29. C. de Vsuris. Vbi Imperator Iustinianus, formam præscribit interesse certam, vtpotè, Illustribus personis, permittit trientes, id est, quatuor in centum, Mercatoribus, qui pecunia quæstum faciunt, octo in centum. Fęneratoribus maritimis 12. in centum. Quod idem clare patet, tot tit: ff. & C. de vsuris.

Secundò, Legis æquitas dictat damnum tua culpa mihi illatum, mihi restitui, l. quod si Ephesi, in fine, ff. de eo quod certo loco: Ergo.

Tertiò, Iudex ex officio suo debet supplere, ne quis ex aliena locupletetur iniuria. Imol: in cap. peruenit de empt: & vendit: Ergo licet vltra sortem accipere.

Quartò, Omnes gentes vtuntur, eo quod interest, nec committunt vsuram,

ram, licet vltra sortem recipiunt, nomine interesse. Odofredus, in l. emptione, C. plus valere, quod agitur: Ergo assertio nostra vera.

Quintò, Valet argumentum à censibus & pensionibus ad interesse, propter identitatem rationis, quę impari casu paria iura desiderat. Atqui census & pensiones licèt sint, vltra sortem, non sapiunt naturam vsurę: & patet ex cap. 1. & 2. extra de empt: & vendit: Ergo etiam interesse, licet extendatur vltra sortem, non sapit naturam vsurę.

COROLLARIVM QVINTVM.

Interesse conuentum, ante Iudicis mandatum in conscientia, est soluendum.

HOC Corollarium probat Metiua, lib. 1. de contractibus cap: 12. pag: 364. Vbi ad intelligentiam huius quæsiti præsupponit.

Primò, Pœna quę imponitur, in recompensationem lucri cessantis, aut damni emergentis, quę potius dicitur recompensa, quàm pœna. Non minus in conscientia soluenda est, à debitore, omittente soluere in tempore debito, ex impotentia: quamsi non ex impotentia, sed ex mora voluntaria talem debiti solutionem, distulisset. Cuius potissima ratio est, quia hæc pæna non tam ad puniendum culpam morę, quàm ad recompensandum interesse posita est, à principio in contractu, quò securior fieret de non amittendo interesse damni, aut lucri cessantis, si ex mora sibi contingeret. A quo impotentia soluendi in tempore, non excusat: quia etiam nulla præcedente culpa interesse debetur. sicut & principale debitum, vbi præcesit, vt in præsenti, monitio & protestatio, de illo lucro recompensando.

Confirmatur, ratione, tenetur aliquis ad interesse, in conscientia soluendum, etiam ante moram, vt tenet Ioannes de Turre Crem: in summa 14. quæst. 3. & Conradus de contractibus quæst: 30. in 4. suppos. & per l. 1. & 2. ff. ad legem Rhodiam de iactu: Ergo multò magis tenebitur in conscientia, si sua culpa distulit solutionem, ad tempus in contractu appositum.

Secundò, De omni damno ex dolo, aut lata culpa dato, tenetur quis in conscientia, c. 1. 14. quæst: vltima. Atqui interesse conuentum, potest aliquando propter dolum, & latam culpam differri: Ergo saltem illo modo, in conscientia erit soluendum.

CON-

CONCLVSIO TERTIA.

In obligationibus rem dari, res debet peti: & si non detur, interesse officio Iudicis tantum in condemnationem deducitur.

HÆC Conclusio expresse probatur per l. ædiles §. Item, sciendum, ff. de ædilitio, edicto, vbi, ad interesse in obligationibus rem dari, etiam sine partis petitione Iudex potest condemnare reum, & per l. si quis ab alio, §. vltimo, ff. de re iudicata, & per l. vbi, §. final: l. si seruum, in fin: ff. de verb: obligat: l. verum ff. si certum petatur, l. eum qui ita, l. promissor hominis, de constituta pecunia, ex quibus omnibus locis allegatis colligitur interesse, in obligationibus rem dari, venire officio Iudicis. Cõfirmat hoc idem Panormitanus, & Decius, in cap: cum venarabilis, de exceptionibus, vbi, interesse, in obligaionibus rem dari, per offic: Iudicis, in condemnationem deducitur, & per gl: cap: P. & G. de officio, & potestate Iudicis delegati, vbi etiam, in cõtractibus, innominatis, in obligationibus dandi, conclusionem nostram locum habere colligitur. Ex hac conclusione, ita probata, deduco aliquod Corollaria.

COROLLARIVM PRIMVM.

Vt in obligationibus rem dari Interesse per officium Iudicis, in condemnationem deducatur, principaliter debet habere Actor, reum obligatum, ex qua obligatione, oriatur actio.

VEritas huius Corollarii patet, ex l. an eadem, §. Actiones: & ibi Bart: de exceptione rei Iudic: vbi, In iudicio personali, principaliter, actor, debet habere,

habère, reum obligatum, ex qua obligatione oriatur Actio. Nam agens sinè obligatione, repellitur, à limine Iudicii, l. si pupilli, §. si videamus, ff. de negotiis gestis, & notatur, in l. vbi pactum, C. de contractionibus. Atqui Actiones quibus aliquid dari petitur, sunt personales, quia nunquam exercentur ad æstimationem rei debitę peremptæ. Secundùm Bart: in l. 3. §. fin. ff. de eo quod certo loco, & Innoc: in cap. sacro, de sententia excommu: & Abb: in cap. cùm Venerabilis, de exceptionibus. Sed illud quod ex obligatione dandum fuit, petendum est, primò: & si ad æstimationem perueniendum sit, Iudicis officio æstimandum est, vt inquit text. in l. Si seruum, §. fin. ff. de verborum obligationibus: Ergo Assertio nostra vera.

Præuid... hîc pra... cam M... tæ 4. p... distincti... ne 3. Iu... ciorũ, ... 47. fol ... diligent... Et obs... Misinge... Cent: Obser: 9

COROLLARIVM SECVNDVM.

In Actionibus stricti Iuris licet Iudici, præter partium conuentionem, & Actionis naturam, ex arbitrio suo condemnare reum ad interesse.

Hoc probatur per Iu: Cons: Vlpian: in l. qui restitnere in fine, ff. de rei vendicatione: & Bart: in l. Actiones, ff. eod. Vbi, omnis actio, de mundo, stricti Iuris, siue sit personalis, siue realis, siue mixta: in qua res aliqua est restituenda, si non restituitur secundùm præceptum Iudicis, efficitur arbitraria ad hunc finem, vt iudex habeat arbitrariam facultatem, deferendi Actori iuramentum, in litem de affectione, & secundũ illud, cõdemnare reũ.

Præuide... ad hoc C... rollariu... Hotama... nũ Misi... geriũ O... notomũ... præterea... quasdã ... ctiones ... stit. de a... onibus

Confirmatur hæc eadem positio, communi D. D. opinione, qui in hoc conueniunt. Quòd actiones stricti Iuris arbitrarię sunt, in quibus Iudex non ex * natura actionis propositę; sed ex suo officio & arbitrio propter aliquod extrinsecum, accidens, eueniens, super naturam Actionis, ex bono & æquo, æstimat, quomodo actori satisfieri oporteat, ad similitudinem actionum bonę fidei. Ita Imperator, §. quaidam Actiones, Instit: de Actionibus. & Ioannes Coras. Miscel: Iuris Ciuil. lib: 4. cap: 12.

* videbis ... hãc part... culã (& ... ctoris na... turã) C... rasiũ in ... is Misce... laneis li... 2. cap: 7

COR-

COROLLARIVM TERTIVM.

Iudex reum, in fructibus intereſſe, vſuris, vel expenſis, etiam Actore non petente, condemnare poteſt.

HOc Corollarium, contra Innocentium & Hoſtienſem, in cap. grauis de reſtitutione ſpoliatorum. Antonius de Butrio probat & firmiter tenet: Iudicem poſſe condemnare reum, in fructibus ex officio ſuo, etiamſi actor
iſingeri non petierit, per l. ædiles, § Item ſciendum, ff. de ædilitio edicto. Quod
Centu. etiam videtur obtinere in vſuris, per l. vſurariis, ff. de vſuris. Cuius rei ratio
4. ob: hæc eſſe poteſt: quia ex quo Actor petiit debitam ſibi iuſtitiam adminiſtra-
r: 51. ri, videtur, omne ius ſuum, qualitercunque competens, deduxiſſe, ſecun-
iligēter. dùm communem D. D. ſententiam, in cap. cùm dilectus, de offic: ordin: Iaſon poſt Angelum, in §. omnium, Inſtit: de Actionibus. Idem Iaſon in l. petens, C. de pactis. & Franciſ: Curtius, conſilio 30. N. 16. part: 1. Vnde de ſtillo & obſeruantia Iudicii cameræ, ſolent adiudicari, ſi æquum videatur Aſſeſſoribus, ſiue petite ſint, ſiue non: maximè quando (ſicut dixi) litigator ſibi ius, & iuſtitiam adminiſtrari petiit, & pro prædictis facit memorabilis gl. in l. vltima, C. quando prouocare non eſt neceſſe, quam approbat, Ioannes de Imol: in l. Paulus, 1. ff. de re iudicata, vbi etiam fatetur hoc de iure verius eſſe. Confirmatur hoc idem ratione: Quia Iudex in iudicando rei geſtæ veritatem, quæ ex actis conſtat, & non ſolam petitionem Actoris reſpicere debet, iuxta Innocentium in cap: examinata, de Iudiciis, & Guidi Papam, conſil: 4. N. 3. & ſequentibus, & conſilio 49. N. 6.

COROLLARIVM QVARTVM.

Sententia poteſt ferri, ſuper non petitis in libello, ſi ſint de natura petitorum.

LIcet regula ſit, ſententiam debere eſſe conformem libello, nec aliud continere, quàm fuerit petitum, l. vt fundus, ff. communi diuidundo: tamen

noſtra

nostra hac positione, contrarium asseritur. Sunt enim multi casus, in quibus toleratur, libelli siue petitionis & sententię discrepantia, vt in cap: 2. de restit: spol. lib. 6. Vbi Princeps & Summus Pontifex in sententiis suis, petitionem litigantium, egredi possunt. Præterea potest in ciuilibus causis, quo ad qualitates, tempora, modos, loca, non sequi petitionem libelli. Itē in criminalibus cognita, qualitate, delicti, & personarum. Bart: in l. quid ergo. §. pœna grauior, de his qui notantur infamia. & Bal: in l. & si seuerior, C. eodem tit. Semper enim liberum est Iudici, in huiusmodi causis criminalibus plus minusue condemnandi. Præterea, si ab initio quantitatem petit, actor, minorem, deinde in progressu causę probet maiorem, non eò minus, valebit sententia, quòd maiorem quantitatem contineat, quàm libellus. oportuit enim Iudicem veritatem probationis sequi, quàm in principio litis, nec ipse actor fortè scire poterat, l. vlt. §. vlt. C. de appel.

Præterea, si actor petat quinq; & reus confiteatur se debere decem. Iudex debet condemnare reum, in decem: hæc enim discrepantia petitionis & sententię toleranda est, propter confessionem rei conuenti, vt vult Angelus, in l. vltima. C. de bonis vacantibus, lib: 10. Ex quibus veritas patet, nostrę positionis, sczt, sententiam posse ferri, super non petitis in libello, si sint de natura petitorum, vel correlatiua, vel correspondentia, aut alias, ex eodem fonte manantia. vt verbi gratia, Petis in libello marcam argenti, Iudex tres denariorum libras soluendas esse pronunciat. Sententia valet, quoniam tres librę respondent marcæ argenti, & sic in similibus.

Præuid Mising um Cēt obser: & eũ Instit: Curar Actior Nec Mara tit: de tētis dis, in bus o bus dis tatur q do inc ualeat tentia.

COROLLARIVM TERTIVM.

Iudex leges & statuta ex causa potest transgredi.

HOC probatur, per Innocentium, in cap: Canonum statuta, in vltima gl. de Constit: vbi asserit: Iudices vt cunque iurarint seruare leges, canones & statuta; tamen ex magna & euidenti causa, possunt ea transgredi. ex hoc dicto infert Baldus, in l. & si seuerior, col: 3. C. de infami: quod in pupillo commitente homicidium, posit Iudex ratione ætatis, commutare, pœnam mortis in aliam. Item, propter metum periculi & scandali, potest

Vide Cticā rii Cr nalem Pœnis 148. & tr tũ de ciis fol:

legem

legem transgredi, Bald: in l. Si quis filio, §. hi autem, ff. de iniust: rupt: testam. excusaturque in Syndicatu, si ob multorum salutem statuta præter filiat. Idem in l. obseruare, 9. & 10. ff. do offic: Proconf. & legati. Nec etiam periurus dici posit, qui ex causa rationabili, transgreditur statuta. Idem l. quid ergo. §. pœna grauior, ff. de infamis. Hoc idem asserit Felinus in dicto cap: Canonum statuta, N. 48. & multa ibi exempla adducit, memoratu digna. Confirmat hoc idem Panorm: in cap: super his, de accusat. & Ludouicus Romanus, Consilio 308. in terminis propositę Quæstionis.

CONCLVSIO QVARTA.

In obligationibus facti interesse, per libellum Iure actionis petitur.

HÆC Conclusio probatur, per l. primam, in vers: agite, ff. de actione Empti, vbi, si res vendita non tradatur, in id, quod interest, agitur: tradere autem, est facti, per l. si rem traditam, ff. de verb. obligationibus.

Probatur secundò, per l. 2. §. Item, si in facto, ff. de verbor. obligat: vbi, si vni ex hæredibus stipulatoris contra fiat, pro parte tantum stipulatio cōmitatur ad interesse, & per l. stipulationes non diuiduntur §. Celsus, ff. eodem, vbi, quid fieri stipulamur, si non fuerit, factum pecuniam dari oportere. Explicat gl: hanc particulam (dari oportere) id est, interesse. Nam ex omni stipulatione facti, tacite interesse, stipulari videor: nisi fiat: ita l. si quis ab alio, §. finali, ff. de re Iudicata. Hoc idem affirmat, Bartol: N. 28. col. vlt: l. cum pro eo, C. de sententiis quæ pro eo &c. Salicetus, in l. si traditio, C. de Actione Empti, Angel: in §. Actionum, in materia Emptionis, Instit: de Actionibus, Confirmatur hoc idem, aliquot rationibus.

Prima in bona fidei cōtractibus, interesse venit Iure Actionis gl: in cap: P. & G. de off. & potest: Iudicis delegati: Atqui obligationes facti sunt contractus bonæ fidei, l. inter artifices, ff. de solut: & Dinus hic in Regul: Mora, de regulis Iuris in 6. N. 9. Ergo assertio nostra vera.

Secundò, Illud peti potest per libellum, Iure Actionis, quod ex contractu venit, in obligationem: tot: tit; de Contractibus, & obligat: Atqui in

obligatio-

de Ma- ntam in ; practi ,Par: 5. : de Iu- ncto, e- differē & vsu 45. . usq; 52. & isingeri in Cen ria 6. ser: 52.

de Oi- tomum : 2. in fo: 217 4. Vbi obliga tra- it facti

innem asium cella- Iuris lis ib: : 7.

obligationibus facti, succedit, obligatio, ad id, quod interest, l. stipulationes, non diuiduntur §. Celsus, l. pœnam ff: de verborum obligat: Ergo Interesse per libellum Iure actionis peti potest.

Tertiò, Stipulationes sunt inuente, vt prosequamur, id quod nostra interest, l. stipulatio ista, §. alteri, ff. eodem, Atqui in obligatione facti, emergens ex facto, est illud, quod nostrũ interest: vt comm: D. D. Ergo per libellum Iure Act: peti potest,

Quartò, Lex conatur quantum potest, ne aliquid sit in incerto §. Instit: de vsu cap. sed in obligationibus facti, aliquando interest, aliquando non: vnde lex, vt sit certa, optimè surrogauit obligationem ad interesse, si, nostra, quod interest omittatur. Atqui illud, quod certum est, in obligatione, peti potest per libellum. Ergo interesse ex obligatione, facti: non facti, cùm per dispositionem legis certum sit. Iure actionis per libellum peti potest.

Quintò, Neminem Iuris æquitas, compellit ad seruitutem. Atqui, si quis precise officio Indicis, compelleretur in obligationibus facti, ad faciendum, vel ad interesse quantum alicui interest rem non fuisse factam, vel factum aliter, quàm fieri debuit: Induceret qandam speciem seruitutis:, cùm factam in labore personali consistat, secundùm Salicetum in l. si traditio col: 1. C. de Act: Empti, Ergo vt hoc euitetur, merito per libellum Iure actionis interesse ex obligatione facti, peti potest.

COROLLARIVM PRIMVM.

In contractibus bonæ fidei interesse incipit currere statim à die moræ commissæ.

VEritas huius Corollarii, colligitur per l. mora, §. in bonæ fidei, de vsuris, & l. Iulianus, §. ex vendito, ff. de Actione Empti, vbi expresse quod in Corollario nostro positum est asseritur: Adeò vt etiam illa, quæ neq; dicta neq; cogitata sunt, nec per contrahentes, expræssa, veniant, per hanc legem, & quod maius est. Dicit hic Oinotomus, §. Actionũ Instit: de Actionibus, In actionibus bonæ fidei, quando peto id, quod mihi debetur, licet adhuc meum non sit, veluti rem venditam tradi, promissum præstare: (quia nudis titulis, seu contractibus, dominia rerum non transferuntur, vt

Præuide ad hæc c clusione Din: in gula M ra, Aret nũ §. A onũde a onibus R buff. in c plication gl: leg nostræ uerbo in lis & P lippũ De ciũ Reg 24. Hi adde E Aretini s pracitato loco diff rentiã o cii Iudici in cõtract bus bon fidei stri cti Iuris.

Præuidea Cõclusionis prima partem s

inquit Imperator, in l. traditionibus, C. de pactis) Interesse, & fructus omnes veniunt, à tempore moræ quàm primum, alter contrahentium, moratur fecere id, quod debet, mox tenebitur, ad interesse, & omnes accessiones quæ rei debitæ accedunt, siue sint pensiones, siue pœna, & quicquid commodi, & incommodi accedit, hoc à tempore moræ præstatur, vt notatur post text: in §. cùm autē, Instit: de Empt: & d. l. mora. §. in bonæ fidei.

Confirmatur hoc idem Rationibus. Prima: Ex quo fuit semel in Mora, in contractu bonæ fidei, præsumitur quod male ageret, quare lex voluit ad interesse agi statim post moram, ita Dynus de regulis Iuris in 6. Reg: Mora.

2. Valet argumentum, à legatis & fidei commissis, ad contractus bonę fidei, quia legata & fidei commissa, Iudiciis bonę fidei adæquata sunt, l. minorum, C. in quibus causis restit: in integ: non est necessaria. At in legatis & fidei cōmissis, post moram, interesse deberi communis D. D. sententia concludit, per l. Titia Seio, §. vsuras, & l. si quis seruo, ff. de legat: 2. Ergo assertio nostra vera.

3. Periculum & interritus rei legate, pertinet statim à die mora ad hæredem, l. quod te, ff. de rebus creditis, l. si ex legati, ff. de verb: obligat: Ergo etiam in contractibus bonę fidei interesse à die morę incipit statim deberi, & currere.

COROLLARIVM SECVNDVM.

In obligationibus facti liberatur, conuentus præstando interesse:

Præuideas adhoc Corollarium Instit: titulū quibus modis obligatio tollitur in Aretino Hotomano Minsingerio Oinotomo.

HOC probatur, per l. si insulam, de verbor: obligat. vbi, est tamen in facultate conuenti, aut facere quod promisit, aut soluere interesse, vsque ad litem contestatam. Sed faciendo quod promisit, liberatur: Ergo etiam in recompensam facti soluendo, interesse, liberabitur.

2. Actor extinctiue procedit in hac obligatione, quia eligendo, agere ad factum, extinguit petitionem, ad interesse: & è contra Arg. l quod in hæredem, §. eligere, ff. de tributoria actione, l. stipulatio. §. opus, vers: siue autem, de noui operi nunciat: Ergo etiam eadem ratio locum habebit in reo conuento, vt vel faciendo, quod promisit, vel præstando intetesse liberetur.

3 Acto,

3. Actor non debet meliori conditione gaudere, quàm reus. l. non debet actori, ff. de regu. Iuris. & l. non licet Actori, ff. eodem tit. Atqui actor, in libello petit primo, condemnari reum ad faciendum: & si recuset, petit eundem condemnari ad centum pro suo interesse, vel plus vel minus, prout liquidabitur in processu, vel per Iudicem taxabitur, vt vult, Spec. Pater Practicæ, in tit: de emptio: § prius. Sed hac conditione gaudet Actor: Ergo deteriori conuentus gaudere non debet.

4. Si conuentus præstando Interesse non liberaretur, fortè ideò, quòd inuito creditori, aliud pro alio soluisset, l. 2. § 1. ff. Si certum petatur. Atqui non inuito, quia actor petit quandoque pro facto interesse, gl. in l. 1. ff de actionibus empti. Nec aliud pro alio, patet, quia factum, & interesse æquipollent, l. apud. §. Labeo, ff. de doli exceptione. Non enim plus in facto, quàm in interesse, post moram consistit, nec è contra, vt eleganter D.D. hîc: Quando interesse est in obligatione, attenditur tempus moræ, & vlterius, non crescit, nec diminuitur, l. hominem, ff. mandati, l. fundum Cornelianum, ff. de Nouation: quia stipulatio semel commissa, ad totale interesse, amplius commiti non potest, l. cùm quærebatur, ff. Iudicatum solui. quod idem de facto est sentiendum: non enim magis post moram, nec minus ante moram, ad factum ex conuentione aliquis obligatur: Ergo assertio nostra locum habet.

5. Solutione eius quod debetur, tollitur omnis obligatio, §. tollitur autem, Instit: quibus modis tollitur obligat. Atqui in obligatione facti, interesse debetur, quia in obligationem deducitur, l. si minoris, ff. de admini. tutel. l. penul. ff. de in litem iurando. Ergo solutione interesse quod, sapit naturam eius rei, quæ debetur, liberabitur, conuentus ab illa facti obligatione.

Vide Mi singerium Cent: 4 obser: 1 Gaill: 2. obser: 101 N. 18. & sequētibu

6. Valet argumentum à venditore ad obligatum ex non facto propter identitatem rationis, quę in pari causa paria iura desiderat. Atqui venditor non habens facultatem tradendi, soluendo Interesse, liberatur, l. in re furtiua, ff. de condic: furti: Ergo.

Bona fides non patitur, vt semel exactum, iterum exigatur, l. bona fides, ff. de reg. Iuris. atqui per interesse exactum est, quod fieri debebat: Ergo in obligationibus facti liberabitur reus conuentus soluendo interesse.

COROL-

Tacite obligatio, introducta à legibus, seu æquitate perinde habetur, ac si orta esset ex contractu.

HOC Corollarium, Si diligentius obligationes quę ex quasi contractu, & illas quę ex quasi delicto nascuntur inspiciamus, facile probabitur. Quid enim inter dominum rei gestè, & eum qui gessit, tutorem & pupillum, & eos inter quos res est diuidenda, vt legata, donata, inter cohęredes, inter hæredem & legatarium. Inter hæredem, & creditores defuncti: inter soluentem per errorem indebitum, & accipientem. Præterea dum Iudex litem suam facit, si propter imperitiam iniquam dixerit sententiam. Si ex loco vbi quis habitat deiectum, effusumúe aliquid est, quod transeunti nocuerit. Si quid est loco, vbi quis habitat, positum, aut suspensum quod si caderet, transeunti nocere possit. Nec non exercitoris culpa cum malorum, hominum vtatur opera, in naui sua, aut caupona, aut stabulo, dolo furtoúe, cui damnum datum fuerit. Quid, inquam, aliud est, quàm, tacitè, obligatio introducta à legibus & æquitate: perinde valens, ac si orta esset ex contractu, vt patet ex tot tit: de obligationibus, quę ex quasi contractu, & delicto nascuntur.

Declaratur hoc per legem, stipul. non diuiduntur, §. Celsus, ff. de vèrb: obligat. Vbi, si non fiat, quod in conuentione deductum est, tacitè, ille cum quo conuenitur, videtur se obligare ad interesse, quę tacita obligatio: ex quo in mora fuit faciendi, statim per libellum iure actionis petitur, & per leg. hæc verba, delegatis primo. Vbi, licèt testator non expressit, omnia bona, vel sine diminutione, & similia verba, tamen tacite insunt, vnde expressio, nihil operatur. Item, 15. distin: c: 1. & 2. c. eos 20. quæstione 3. Vbi tacite quis videtur renuntiare, officio Clericali, si fuerit effectus miles: quia facit actum contrarium Clericatui, quibus conuenit illud, nobis non licet interficere quempiam. Innocentium in cap: 1. de Apostatis, & cap: in audientia, de senten: excommun. Adeoque hoc locum habet, vt aliquando tacita voluntas, plus operetur, quàm expressa, Patet per Bart. in l. is qui

Præuideas Rebuff: in nouẽ tractatib: tractatu de nominationibus quæstione, ultima N. 19 in uerbo. Itẽ, tacitæ Philip: Deciũ in reg: Iuris Reg 40. 84: 166. Dynũ de reg. Iuris Põtifi: Reg: 43 et 44. Marãtã in explic: l. is potest, ff: de acquirẽda hæreditate n. 208 Ludouicũ Careriũ in sua pract: criminal: tit: de Indiciis, Indi. 28. fo: 64 Lanfrãc: in repetit: l. Cent: ff. de uulgari & pupillã institutio:

qui hæres § . vltimo, de hæredibus instituendis. Vbi notabile verbum, quod licèt filius non poſsit, expreſſe repudiare hæreditatem in præiudicium patris, tamen tacite repudiando, poteſt patri præiudicare.

Confirmatur hoc idem aliquot rationibus: Conſenſus eſt de ſubſtantia & forma contractus. Iaſon in l. 1. § . 1. ff. de verb: obligationibus. Atqui tacite quis conſentire poteſt, & tacens habetur pro conſentiente, § . ſed & ſi pater, in verbo, non contradicente, Inſtit. quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluitur, & l. 4. §. vltimo, ff. de fideiuſſoribus: Ergo tacite quis licèt voluntatem ſuam expreſsis verbis non declaret, obligari poteſt. Atqui hoc fieri poteſt per hominem: Ergo multò magis vt in propoſito noſtro, per iuris æquitatem.

2. Verba non ſunt de eſſentia contractus, quia ſurdus, mutus, donare, & matrimonium contrahere poſſunt, l. qui id quod, §. mutus, de donat. l. mutus, ff. de iure dotium, cap: cùm apud, & in cap: tuæ, deſponſal. quin imò cum aliis paciſci poteſt, l. Item, quia. ff. de pactis: Ergo tacite quis obligari poteſt.

3. Si aliquis ſine illis quæ ſunt de ſubſtantia, & forma contractus, obligari poteſt; multò magis ſine illis quæ non ſunt de ſubſtantia. At poteſt aliquis ſine conſenſu, qui eſt de ſubſtantia contractus, per text: in l. furioſus, de actionibus & obligat: Ergo mul.

4. Inter tacitum & expreſſum, Deus non facit differentiam: Ergo & nos inter tacitè & expreſſe obligatum, non faciamus.

subſtitu N. 36. 755. Ga lli lib. 2. ser. 3. N. Necnō ſinger: ſtit: quibuſmodi ius patr poteſtis ſoluatu ſed & pater, tit: de le tis §. quoq; r Eiuſdē ser: Cer 2. obſe:

COROLLARIVM QVARTVM.

In obligationibus facti nemo poteſt præciſe compelli ad faciendum.

VEritas huius poſitionis patet ex mente Bart: & communiter D. D. qui inter alias cauſas: quare in obligationibus facti, non compellitur quis præciſe, ſicut in obligationibus dandi, aſsignant hanc rationem. Si quis, inquiunt, præciſe compelleretur in obligationibus facti, eſſet inducere quandam ſpeciem ſeruitutis, cùm factum in labore perſonali conſiſtat, qua propter ne inducatur, legis æquitas, inuenit obligationem ad intereſſe, vt ex con-

Præuid ad hoc rollariū annē C ſiū lib: Miſcel: ris Ciu cap: 3. buſſ: in

clusione nostra, & legibus ibi allegatis, declaratum est: Ergo ex quo lex aliud remedium inuenit, colligitur neminem præcise compelli posse ad faciendum.

Confirmo hoc idem rationibus. Prima: ad seruitutem nemo compelli potest: Ergo nec ad faciendum. Antecedens verum. Nemo enim libertati, quę est in æstimabilis vi compulsus renunciare videtur, quia sic rei inæstimabili renunciaret. Consequentia patet, quia seruitus in facto, & in labore personali consistit, l. hę operę, ff de operis libert.

2. Ius ciuile ea quę sunt Iuris naturalis tollere non potest, l. iura sanguinis, ff. de reg: iuris. Atqui seruitutes sunt iuris ciuilis. §. ius autem gentis Instit: de iure natur: gent. & ciuili, §. summa itaque: de iure personarum. Eodem. Libertas autem est Iuris naturalis, omnes enim ab initio liberi nascebantur, l. Si quod dominus, 64. D. de condit: indebit. & l. quod attinet 32, D. de regulis iuris: Ergo nemo compelli potest ad factum.

3. Voluntarię nemo obligari potest ad seruitutem; Ergo multò minùs compelli, Antecedens.

Nemo plus Iuris in alium conferre potest, quam ipse habet, l. traditio, de acquirendo rerum dominio, cap: nuper, de donationibus inter virum, & vxorem. Atqui nemo est dominus membrorum suorum, l. liber homo, ff. ad legem Aquili: Ergo voluntariæ obligari non poterit.

Consequentia, in inuitum beneficium, conferri non potest, nec collatum repeti, l. fina. C. de negotiis gestis, l. hoc iure, § non potest, de donat: c. gesta, 84. distin. Ergo multò minus maleficia & seruitutes.

4. Pœna debet commensurari delicto, cap: quæsiuit, de iis quę fiunt à maiori parte capituli. Atqui si compelleretur aliquis, ad faciendum, pœna maior delicto imponeretur, scʒt, amissio libertatis, quę æstimationem non recipit, l. libertas inæstimabilis: de regulis Iuris, §. penult. in verbo, cum libert. Instit. qui manumit: non possunt: Ergo.

5. Pœna Stigmatis, in facie hominis, cùm sit factus ad instar diuinę imaginis, est à iure prohibita, & statutum illam imponens non valet, l. si quis in metal. C. de pænis, Bart: in l. cùm in diuersis, ff de religiosis. Atqui compelli ad factum, est magis, quàm stigmate faciem notare, quia per talem compulsionem seruitus, quę est mors inducitur, l. quod attinet, l. seruitutem, ff de regulis iuris, l. interdicit, ff. de cond: & demonst. Mors autem maior est stigmate, quia illud hominis priuat esse, hoc decorem & formam: Ergo nemo compelli potest ad faciendum.

COR-

s nōra erb: in Areti instit. legatis tū au: circa si n uersi ,gl. in b. in a. 10, Gail : 1 ob rua: 26. in singe Cent: 6 ser: 51. noto: in t: de iu. naturali ntiū & uili §. t: N. 7.

COROLLARIVM QVINTVM.

Quantitas certa non est petenda pro Intereſse

HOC Corollarium, omnium D. D. opinione comprobatur, quin imò notandum eſſe, in practica, omnes conueniunt, vbi cum ratione. Non eſt neceſſe quantitatem intereſſe in libello exprimere, vt euitetur pœna, l. vnicæ, C. de plus petito, & §. plus, Inſtit: de actionibus, gl. in l. certi cond. & ibi D. D. ff. ſi certum petatur, Bart: in l. Prætor edixit, . § 1. ff. de iniuriis. Sed ſufficit in proceſſu liquidare, teſte Aufrerio in deciſione capellæ Thol. quæſt: 367. vel vt exprimatur, cum adiuncto, plus vel minus. Salicetus in l. 1. col: 1. ff. de actione Empti: vel vt petatur in genere gl. & Doct: in dicta l. certi condict. ff. ſi certum petatur, §. actionum, §. curare, Inſtit: de actionibus, & iſta eſt opinio communis, ſecundùm Socinum, in cap: Significantibus, in 3. membro, verſiculo ſexto, infert, fol 71. de libelli oblatione. Petitum autem, Intereſſe in genere, actor poſtea tenetur in proceſſu, probare eius certitudinem & quantitatem gl. ſing in l. 1. §. Si quis argentum, ff. depoſiti.

Modus [petendi] int[ereſſe].

Confirmo hanc noſtram aſſertionem ratione. Sed primò ſciendum eſt: Quod plus peti intelligitur, non ſolùm de quantitate, vt §. fideiuſ. Inſtit: de fideiuſ. ſed etiam de qualitate: vt eiuſdem ſpeciei, rem meliorem, poſtulare. Et præter hos, multis aliis modis, quos tyronum gratia adſcribo, plùs peti poteſt. Plus petitur primo, tempore, ſczt, quando quis præmature, ante diem petit: ſicut enim minus ſoluit, qui tardius ſoluit, §. 4. Iuſtit: de fideiuſ. l. cui 12. D. de verb: oblig. ita è contra, plus petit, qui citius petit. Et notandum eſt, hoc procedere multipliciter: pluralitas enim iſta, reſpectu temporis poteſt fieri, vel in die appoſito ab homine ex conſenſu partium, vt ſi quis promiſit ſoluere Calendis Maii, & creditor petat Calendis Ianuarii, vel in die, & dilatione, quę ex natura rei, obligationi ineſt, vt eſt in fructibus naſcituris, l. interdum, ff. de verb: obligationibus, vel procedit in die, quæ ex diſpoſitione legis ineſt, vt eſt in caſu, l. vnice, §. exactio, C. de rei vxor: actione, vbi hæredes habent annum à lege, infra quem reſtituant dotem, in rebus mobilibus conſiſtentem. Vel in die & in debito conditio-

 nali,

nali, vt si quis petat rem antè conditionis euentum, sub qua res promissa est.

Secundò, petitur plus loco, sczt, quando quis, id quod in certo loco, puta Romę, sibi dari stipulatus est, alio loco puta Bressę petit: aufertur enim debitori vtilitas, quam, si in loco conuento peteret, haberet, potest enim ipsius debitoris multa interesse, quia fortasse, debitor conuentus in loco non destinato cogitur fænerari, sub maioribus vsuris, vt satisfaciat creditori.

Tertiò & vltimò, plus causa petitur per creditorem, quādo, vnū ex pluribus debitis, alternatiuè petitur. Vel qui in specie certū quid à reo petit, qui in genere ei tantum rem promisit. Estque ratio, quia in debito alternatiuo generis electio, spectat ad debitorem, quam rem dare velit. Vnde quia ista electio aufertur debitori per creditorem, petente certam aliquam speciem, ideò dicitur debitor plus causa petere, & incidit in pœnam, §. nostri. His ita præsuppositis, facio argumentum, plus petere quantitate, qualitate, tempore, loco, causa, à legibus est prohibitum: Ergo quantitas certa, cum sapiat naturā quocūq; modo ex supra dictis, cōsiderata, plus petitionis, pro interesse peti non potest. Consequentia patet, ex sufficienti modorum, quibus aliquid plus petitur enumeratione, & ex iuribus Corollarium nostrū, comprobantibus. Antecedens: Pœna specificata, præsupponit legis præscriptum, in delictum: quod necessario sequi debet talis pæna. Atqui in plus petentes, pæna specificata est: Ergo.

Maior vera. Primò enim debet aliquid lege prohiberi, & subsequenter in legum transgressores pæna statui.

Minor, §. si quis agens Instit: de Actionibus, vbi de iure antiquo, & communi duriter agebatur cum eo, qui in iudicio plus petebat, quàm ei debebatur, faciebat enim iacturam causę, & totum debitum amittebat. De iure autem nouissimo, ex eodem. §. Vers. Sed hæc quidem: punitur in duplicatione temporis, vt hic commu: D. D. & Oinot: eodem, N. 2. Hodie igitur plus petens, punitur in duplicatione induciarum seu temporis; ita quòd duplo plus & diutius cogatur, expectare, quę pœna locum habet, in omni dilatione, siue sit data à lege, siue ab homine, siue insit ex natura rei, siue in certa & conditionali die. Et Minsing. Eod. N. 2. vers: rem amittebat, assignat rationem, propter quam, rem amittebat, plus petens, quàm sibi debebatur. Nempè: Quod priori iudicio nihil consequeretur, propter exceptionem dilatoriam, & postea suo tempore volens rursus agere, submouebatur peremptoria exceptione, quod rem semel in iudicium deduxisset, §. temporales, in fine, Instit: de exceptionibus.

Vnde

euid: ad
Corol
iū Re-
ff: in ex
catione
legis no
e, quę ē
uerboin
is N. 15
; ad 18.
Angeli
etin. §
quis a-
ns N, 8,
stit: de a
ionibus
otoma-
§. fide
ff. Instit:
e fideius-
or: eun-
§. loco
lus, & se
uent: &
§. si quis
gens eo-
dem, Min-
singerium
§. agens
§ plus pe
ens eodē.
Oinotomū
similiter e
odē per to
um titul.

Vnde Angelus Aretinus Instit: eodem N. 8. & Oinot. eodem vers: sed hę quidem, N. 9. concludunt. Si actor plus debito negat, debitorem non teneri, ad compensationem, quin imò propter plus petitionem potest simpliciter negare totum debitum, argum: not: in cap: 1. extra de litis contestatione Bart: & D. D. in l. 1. §. Si stipulanti, ff. de verb: oblig. & l. qui solidum in principio, ff. de legatis. 2. Adeoque hoc verum est, vt etiam per ignorantiam actor plus petens, non excusetur secundùm Iasonem, hic, N. 2. & vulgat: reg: delictum, nunquam præsumitur, l. merito, ff. pro Socio. Nam plus petitio ita legibus est exosa, vt etiam delicti nomen sortiatur. Ex his igitur rationibus constat nostram assertionem veram esse, in qua asserimus quantitatem certam, pro interesse peti non posse.

Hucusque propositę quæstionis explicationem, manu & stillo meo deduxi. Iam sistere calamum, & receptui canere, priuatę iubent, occupationes. Tu modo candide Lector curas & studium meum, purgatis nonsolùm auribus, verùmetiam affectu & mente haurire velis. Et si quid benè scriptum, tuoqúe Genio, conforme reperietur. Gloria & honor ipsi Redemptori, à quo cuncta bona procedunt. Sin autem nequam, & perperam, fraterna correctione, cunctis subiicio legentibus, non autem canino dente mordendum. Vale.

FINIS.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0006952